







SCRIPTORES MONASTICI

INCERTI SCRIPTORIS

DE REBUS IN BELLO SANCTO GESTIS

A. D. MCCXVII—MCCXVIII

INCERTI SCRIPTORIS

NARRATIO

DE REBUS IN BELLO SANCTO GESTIS

A. D. MCCXVII — MCCXVIII.

de Vitriaco



PRIMUM EDIDIT

EX UNICO CODICE, QUI IN BIBLIOTHECA

AULAE—GRAIANAE SERVATUR

JOANNES ALLEN GILES

LONDINI

APUD D. NUTT

1846

PREFACE

In the library belonging to the Honorable Society of Gray's Inn, is a small collection of about thirty MSS., some of which are valuable, because they contain ancient writings not found elsewhere.

Among others, the volume numbered 3 in the Gray's Inn Catalogue of MSS., is remarkable for containing certain articles of which no other copy is known to exist. One of the subjects contained in that MS. at folio 108 is a Narrative of events which happened to the Crusaders in Egypt during the years A. D. 1217, 1218.

"The warriors of the Sixth Crusade," says Doctor Waddington, in his History of the Church, vol.II, p. 344, "declined from the original object of these military pilgrimages, and deviated, with greater promise of profit if not of glory, into the wealthy plains of Egypt. Their courage was repaid by the conquest of

Damietta; but the advantage thus obtained was neither great nor permanent. The force of the Christians in the East was weakened by division, and they were contented to despoil what they could not hope to possess. Still, if we are to assign to this expedition the concluding exertions of Frederic II., it terminated with more honour to the Christian name, and with a nearer approach to the liberation cf the Holy Sepulchre, than any which had been undertaken since the first. And that its results were not more lasting, is to be ascribed, not to the insincerity of the emperor, but to the narrow jealousy of a passionate pope, who roused all his military and monastic myrmidons in opposition to that very cause which he, as well as his faithless predecessor, had dared to designate the cause of God."

The sixth crusade, of which this extract is a brief notice, began in 1213, and lasted several years. The years 1217 and 1218 were the most glorious part of it, and the events which then happened to the Christian army are detailed at some length in the following pages. Of the auther of this short chronicle I know nothing, but from the expressions which he uses in different parts of the narrative, it is evident that he derived his information from eye witnesses.

The student of history will not regret that I have published it, because we never can have too much information about those ancient times, and unfortunately at present we have considerably too little.

Bampton, Oxfordshire; Oct. 1, 1846

INCERTI SCRIPTORIS

DE REBUS &c.

Laetetur mons Sion, et exultent filiae Judae propter judicia Domini: confiteantur Domino quoniam magnifice fecit: scribentes et praedicantes annuncient mirabilia ejus, qui mandavit sanctificatis suis et vocavit servos suos in ira sua, exultantes non in propriis viribus, non in operibus justitiae quae fecerint ipsi, sed in gloria majestatis ejus, qui est in omnibus benedictus in secula.

Terra enim, de qua oriebatur panis qui de cœlo descendit in loco nativitatis suae, ferro succisa est, in munitionibus multis quas inhabitabant perfidi: locus saphiri, lapides terrae hujus, quia fuit possessio patriarcharum, alumna prophetarum, doctrix apostolorum, mater fidei, glebae illius aurum in his qui sibi caritate cohaeserunt et religionis custodes nunquam in ea defuerunt; quae quondam non libera, post multos gemitus et crebra suspiria jam exultat in spe et de bonitate liberatoris sui confisa, gaudens gaudebit in remota virga peccatorum a sorte justorum.

Sane quae vidimus et audivimus et veraciter intelleximus, scribimus omnibus orthodoxis absque falsitatis admixtione, ut quicquid est virtutis usquequaque assurgat in laudem Dei et gratiarum actiones.

ANNO GRATIAE MCCXVII, expirante Christianorum et Saracenorum in primo passagio generali

post concilium Lateranum, congregatus est exercitus Domini in Accon copiosus, cum tribus regibus, Hierusalem, Hungariorum, Cypri, qui mystica munera secum non deferentes, parum egerunt memoria dignum. Adfuit dux Austriae et dux Bavariæ cum multis comitibus et viris generosis ac militia magna regni Teutonici. Aderant episcopi peregrini; archiepiscopus Nicotiensis, Jorien., et Agren., Hungar., Baiocen., Bauembergen., Sicen., Monasterien., et Trajacen., et cum iis vir potens et nobilis, dominus Walterus de Avenis, qui reversus in passagio vernali, quadraginta milites reliquit in servitio terrae sanctae, quibus providit in sumptus sufficientes per annum.

Bauverarii insolenter et contra legem peregrinorum se habuerant, hortos et pomeria Christianorum destruendo, ejicientes etiam de hospitiis suis religiosos: nec his contenti Christianos interfecerunt. Dux Austriæ sicut princeps Catholicus per omnia laudabiliter Christo militavit. Patriarcha Hierosolymitanus cum magna humilitate cleri et populi tollens reverenter vivificae crucis lignum feria sexta post festum omnium sanctorum profectus est ab Accon in castra Domini quae praecesserant ad Recordavam. Hoc autem dulce lignum post terram sanctam perditam reservatum fuit ad haec tempora. Imminente siquidem conflictu Saracenorum cum Christianis tempore Saladini sicut a senioribus accepimus, crux secta fuit, pars ad prœlium delata et ibidem perdita, pars reservata, quæ nunc exhibetur. Cum tali vexillo ordinatis aciebus, processimus per planum fabae usque ad fortem Tubaniæ multum eo laborantes, et præmissis exploratoribus videntes ab adversariis concitari pulverem, incerti fuimus utrum contra nos an fugiendo properarent. Sequenti die per montes Gelboæ, quos habuimus ad dextram et paludem ad sinistram profecti sumus Bethsanam, ubi castra fixerat adversarius, sed metuens tam

ordinate procedentis et tam copiosi Dei viventis exercitus adventum, tentoria tollens et fugiens, terram vastandam militibus Christi reliquit.

Unde Jordanem transeuntes in vigilia sancti Martini *,corpora nostra lavimus pacifice in eo, et quievimus per biduum ibidem copiam victualium et pabuli reperientes. Deinde super littus maris Galilæi tres mansiones fecimus, peragrantes loca in quibus mirabilia Salvator noster operari dignatus, corporali præsentia cum hominibus conversatus est. Aspeximus Bethsaidam civitatem Andreæ et Petri, nunc ad casale modicum redactam. Demonstrata sunt loca ubi Christus discipulos vocavit, supra mare siccis pedibus ambulavit, turbas pavit in deserto, montem ascendit orare,. et locus ubi cum discipulis post resurrectionem manducavit; et sic per Capharnaum infirmos nostros in jumentis portantes reversi sumus Accon.

In secundo equitatu adivimus pedem montis Thabor, primo aquarum inopiam, postmodum per defossionem copiam invenientes. Desperabant capitanei nostri de montis ascensu, donec, puero Saraceno nunciante castrum fore comprehensibile, consilium inierunt. Prima vero Dominica adventus Domini, quum legeretur evangelium "Ite in castellum quod est contra vos," patriarcha præcessit cum signo crucis, episcopis et clero per clivum montis orantibus et psallentibus, licet mons præruptus sit undique excelsus et quasi impossibilis ad ascendendum extra semitam tritam: milites tamen et satellites, equites et pedites viriliter ascenderunt. Joannes rex Jerusalem cum militia Domini castellanum stravit et Admiraldum unum primo impetu, defensores castri, qui intrepidi extra portas ad defendendum montem hostibus occurrerunt, in fugam convertentes et stuporem.

Sed rex quantum meruit ascendendo, tantum demeruit

*The eve of Saint Martin's is the 10th of November.

descendendo. Descendens autem ipse die Dominico, et alios descendere faciens, per indultum spatium animavit incredulos: sed quo Dei judicio vel principum consilio exercitus Domini tunc descenderit et inglorius recesserit, ignoramus: hoc tamen scientes, quod divinorum judiciorum abyssus humanæ mentis oculus penetrare non potest. Multi autem Templarii et Hospitalarii et quidam seculares in secundo montis ascensu, quando castrenses vires receperant, vulnerati sunt, sed pauci mortui. Credimus autem Christum Dominum sibi soli hunc triumphum montis reservasse, qui cum paucis discipulis ipsum ascendit, gloriam futuræ resurrectionis ibidem demonstrando.

In primo et secundo equitatu maximam multitudinem captivorum virorum ac mulierum et parvulorum Christiani secum duxerunt. Episcopus autem Acconensis parvulos, quos prece vel pretio potuit obtinere baptizavit, et distribuens inter religiosas feminas literis applicare disposuit. In tertio equitatu, cui patriarcha cum signo crucis et sacri pontifices non interfuerunt, multa damna et incommoda tam per latrunculos quam hiemis incommodo perpessi smus: præsertim in vigilia natalis Domini † per viam hac ipsa sacra nocte, in qua tempestatem terrestrem ventis et pluviis commotam sustinuimus gravissimam in finibus Tyri et Sidonis juxta Sareptam.

Post hæc exercitus Domini quadrifarie divisus est. Rex Hungariæ et Cypri Tripolim profecti sunt: ubi rex Cypri adolescentulus diem clausit extremum: rex Hungariæ brevi tempore commoratus cum magno damno terræ promissionis recessit. Peregrinos enim et galleias, dextrarios et jumenta cum armis secum traxit. Multum admonitus a patriarcha ne sic recederet. Tandem excommunicatus cum sua sequela. Alia pars pigrorum et timidorum, et eorum qui procumbentes ad terram ore pleno de abundantia temporalium biberunt, reman-

* The 24th of December.

sit in Accon. Rex vero Jerusalem et dux Austriæ cum Hospitalariis sancti Joannis et episcopis supradictis et quibusdam aliis castrum in Cæsaræa Palæstinæ brevi tempore viriliter et constanter firmaverant licet hostis adventus frequenter nunciaretur. Post hoc castrum Deo dante civitas ipsa reparabitur. In basilica principis apostolorum festum purificationis Patriarcha cum sex episcopis solenniter celebravit. Templarii vero cum domino Walterio de Avenis et paucis auxiliatoribus peregrinis et hospitalarii de domo Teutonicorum castrum peregrinorum, quod olim districtum appellabatur, firmare cœperunt, quod situm est in diocesi Cæsariensi inter Caiphas et Cæsaream. Cujus situs talis est. Promontorium amplum et altum mari imminet munitum naturaliter scopulis ad Aquilonem, occidentem et Austrum; versus orientem turris est firma et dudum a Templaris edificata et possessa, tam guerræ quam treugarum tempore. Turris autem ibidem posita fuit olim propter latrunculos qui in via stricta peregrinis ascendentibus in Jerusalem et descendentibus ab ea insidiabantur, haud longe distans a mari; quæ propter viam strictam Districtum appellabatur toto fere tempore quo Cæsarien. castrum firmatum est et consummatum. Templarii ex transverso promontorii fodientes et laborantes per sex hebdomadas tandem ad fundamentum primum pervenerunt, ubi murus antiquus et spissus et longus apparuit. Inventa est enim pecunia in moneta modernis ignota collata beneficio filii Dei militibus suis ad alleviandos sumptus et labores. Deinde in anteriori parte arenam fodientes et deportantes, alius murus brevior inventus est et inter murorum planitiem fontes aquæ dulcis ibidem largiter ebulliebant.

Lapidum etiam et cæmenti copiam Dominus ministravit. Duæ turres ædificantur ante frontem castri lapidibus quadris et dolatis, tantæ quantitatis ut lapis unus vix a duobus bubalis in curru trahatur. Utraque turris centenos habet pedes in longitudine, 74 in latitudine; spissitudo binas includit testudines.

Inter duas turres murus novus et altus cum propugnaculis consummatus est, et miro artificio intrinsecus equites armati ascendere possunt et descendere. Item murus alius paulo distans a turribus extenditur ab uno latere maris ad aliud, puteum habens aquæ vivæ inclusum. Promontorium ab utroque latere muro cingitur alto et novo usque ad rupes: oratorium cum palatio et domibus plurimis castrum includit. Hujus ædificii prima est utilitas quod conventus Templariorum, eductus de peccatrice et omni spurcitia plena civitate Accon, in hujus castri præsidio residebit usque ad reparationem murorum Hierusalem. Territorium munitionis hujus piscariis, salinis, lignis, pascuis, agris, et herbis abundat; vineis, plantatis et plantandis hortis et pomeriis habitatores delectat. Inter Accon et Jerusalem nulla est munitio quam teneant Saraceni. Unde de hoc castro novo plurimum damnificantur increduli, et terrore divino ipsos fugantė loca culta deserere coguntur inter Jerusalem et Jordanem. Portum habet naturaliter bonum qui artificio adintus poterit esse melior, sex milliaribus distans a monte Thabor. Unde hujus castri constructio præsumitur fuisse causa destructionis munitionis illius quæ in campo longo et lato qui interjacet montanis castri hujus ac montis Thabor: nec arare nec seminare nec metere secure poterant propter hujus castri præsidium.

Monasteriensis episcopus apud Cæsaræam obdormivit in Domino. Magister Thomas theologus doctor bonus et opinionis claræ apud castrum Filii Dei defunctus est.

Post hæc exercitus Domini rediit in Accon. Episcopi Alemanniæ et multi alii se præparabant ad transfretandum brevi tempore in terra promissionis commorati. Expectabatur passagium secundum et novum et maxime classis ab aquilone veniens, quæ per angustum mare Carthaginis navigarat, sperabatur a principio prædicationis crucis Christi. Provincia Coloniensis studio magno plurimis etiam sumptibus fere 300 naves præpara-

vit, quarum quædam remanserunt, quædam vi tempestatis perierunt, sed major pars venit Lessebonam cum magna virtute bellatorum. Ibi orta est discordia, quibusdam volentibus procedere, aliis hiemare cupientibus in obsidione castri fortissimi quod Alcatia dicitur; et sic classis divisa est. Pars apud Gaetam et Tornetum hiemavit, pars alia obsedit Alcatiam, duos habens capitaneos, Comitem Willelmum de Horlondia et comitem Jeorgium de Wite. Captum est hoc castrum per Teutonicos, et quum adhuc essent in obsidione, congregata est contra eos Saracenorum maxima multitudo, contra quam viriliter pugnaverunt Templarii et Spatarii cum militia reginæ Portugalliæ. Victi sunt virtute divina Saraceni. Rex eorum unus occisus est et cum eo plurimi trucidati sunt et in captivitatem ducti. Excitata fuit provincia Coloniensis ad obsequium Salvatoris per signa quæ apparuerunt in cœlo. Nam in provincia Coloniensi et diocesi Monasteriensi in villa Bedom Frisiæ, mense Maio sexta feria ante Pentecosten, quum prædicaretur crux ibidem, triplex forma crucis apparuit in aere; una candida versus Aquilonem, alia versus meridiem ejusdem coloris et schematis, tertia medio colore colorata, habens crucis patibulum et figuram hominis in ea suspensam, elevatis brachiis et extensis cum infixione clavorum in manibus et pedibus, et capite inclinato: hæc media fuit inter alias duas, in quibus non erat effigies humani corporis. Alia vice et alio loco in villa Frisiæ Sutherhuse tempore prædicationis crucis apparuit juxta solem cœrulei coloris: hanc viderunt plures quam priorem. Tertia fuit apparitio in diocesi Traiacensi, in villa Doctun, in qua beatus Bonifacius coronatus fuit martyrio. Ubi in die martyris ejusdem quum multa smillia convenissent ad indictam stationem, apparuit crux alba et magna ac si trabs ex transverso trabis artificialiter composita fuisset. Hoc signum vidimus omnes, movebatur autem paulatim ab aquilone ad meridiem. Credimus autem duas apparitiones fuisse demonstratas ut omnis ambiguitas prim[illegible]

tolleretur, sicut dicit apostolus de resurrectione Christi, quod visus est Cephæ, postea undecim apostolis: deinde plusquam quingentis fratribus.

ANNO GRATIAE MCCXVIII, mense Martio, applicare cœperunt ad portum Accon cogones de provincia Coloniensi cum aliis paucis de Bremensi et Treverensi provinciis: tunc firmatum fuit consilium, in concilio Lateranensi cum domino papa Innocentio bonæ recordationis habitum Romæ, de introducenda militia Christiana in terram Ægypti.

Mense igitur Maio, post ascensionem Domini, praeparatis cogonibus, armatis galeis et aliis navibus oneratis, profecti sunt de Accon. Joannes rex Jerusalem patriarcha cum episcopis Niconien. Bethlem. Accon. duce Austriae cum tribus domibus et copiosa multitudine Christianorum. Indicta fuit collectio navigantium apud castrum Filii Dei, sed flante Borea, rege duce et magistris domorum ad indictum locum venientibus, exercitus Domini prosperis velis præcessit, tertio die perveniens ad portum Damiettæ. Præfati autem duces, quia moram modicam fecerunt in prænominato castro, subsequi non poterant exercitum usque ad sextum diem ab exitu de portu Accon. Multi etiam, qui præparati non erant et moram aliquantulum apud Accon post primos navigantes fecerunt, aut omnino remanserunt, aut vi ventorum repulsi sunt in Accon, aut per tres vel quatuor hebdomadas jactantes per mare moram fecerunt. Archiepiscopus Remensis et episcopus Lemovicus graves annis remanserunt in Accon: Lemovicus mortuus est ibi, Remensis vero reversus in passagio sanctæ crucis obiit in via. Applicantes autem ad portum maris Damiettæ elegerunt sibi capitaneum comitem de Sarreponte et hostilem terram ceperunt, antequam rex et prænominati duces subsequerentur, tertia feria, sine sanguinis effusione impensa. Quum enim pauci Saraceni equites occurrerent ad portum, Friso quidam, fixo in terram dextro genu et sinistra

manu circumferens ancile, dextra spiculum vibrabat ferreum. Intuitus est eum Saracenus estimans eum ludere,sed subito eques cum equo percussus a Frisone corruit ad terram. Fugientibus aliis absque omni impedimento castra metati sunt inter littus maris et ripam fluminis Nili Christiani cum admiratione magna subsequentium, quando tentoria fixa viderunt. Hoc etiam mirabile fecit Dominus, quod in primo adventu aqua fluminis conjuncta mari dulcis hauriebatur, quæ postmodum multis vicibus salsa fuit usque ad Casale quod distat a Damietta sursum fere per milliare.

Modico tempore post adventum Christianorum facta fuit eclipsis lunæ fere generalis, quæ licet naturaliter in plenilunio plerumque proveniat, quia tamen Salvator dicit "Erunt signa in sole et luna", hanc eclipsim contra Saracenos interpretati sumus quasi portendentem ipsorum defectum qui sibi lunam attribuunt, in incremento vel decremento lunæ vim magnam ponentes. Legitur autem in Quinto Curtio quod quum Alexander Macedo, totius malleus orbis, contra Darium et Porum de Græcia profecturus esset in Asiam, et acies hinc inde subsisterent ordinatæ, facta est eclipsis lunæ, quam Alexander pro Græcis contra Persas et Medos interpretatus suos animavit, et pugnans contra Darium vicit eum. Turris in medio fluminis sita capienda fuit ante transitum ipsius. Frisones tamen impatientes moræ transeuntes Nilum jumenta Saracenorum tulerunt, et cupientes in ulteriori ripa castra metari stabant pugnantes contra Saracenos, qui obviam ipsis de civitate processerunt. Revocati sunt autem per obedientiam, quia non videbatur principibus expedire quod turris Paganis repleta post tergum relinqueretur Christianorum.

Interim dux Austriæ et hospitale sancti Joannis duas scalas præparaverunt super duos cogones. Teutonici vero et Frisones tertiam navem propugnaculis munierunt, castellulo in summitate mali composito absque scalæ suspensione. Caput eorum dux et

judex fuit comes Adolphus de Monte, vir nobilis et potens, frater Coloniensis archiepiscopi, qui ante turrim captam mortuus fuit apud Damiettam. Scalæ ducis et hospitalis contra turrim directæ sunt circa festum sancti Joannis Baptistæ*. Saraceni turrim defenderunt viriliter, et Hospitalariorum scala confracta cum malo cecidit bellatores suos præcipitans. Secundo scala ducis simili modo confracta eadem fere hora milites strenuos et armatos corpore deciduos secundum animas levavit ad cœlum glorioso martyrio coronatas. Ægyptii lætati vehementer subsannantes levaverunt voces tympanizantes et buccinis perstrepentes; mœror et tristitia Christianos invasit. Navis autem Teutonicorum et Frisonum inter turrim et civitatem ancoris hærebat fixa, damna plurima per balistarios, qui intus locati fuerant, inferens Ægyptiis, præsertim illis qui stabant in ponte inter civitatem et turrim porrecto. Ipsa vero navis a bellatoribus civitatis, turris, et pontis, jaculis igne Græco impetebatur vehementius; tandem igne Græco correpta fuit, et quum timerent Christiani ne colluminaretur omnino, defensores illius ignem extinxerunt viriliter; et sic tandem sagittis tam intus quam foris quam in castello superiori malo etiam et funibus repleta cum magno Christianitatis honore reducta fuit ad locum suæ stationis.

Non modica etiam damna intulit et sustinuit navis una propugnaculis munita Templariorum, quæ hujus assultus tempore juxta turrim hærebat. Nos vero considerantes turrim capi non posse petrariorum vel tribuculorum, hoc enim multis diebus fuit attentatum, nec applicatione castri propter fluminis profunditatem, neque fame propter civitatis vicinitatem, neque suffossione propter aquæ circumfluentis importunitatem, Domino demonstrante et architectum providente, sumptibus Teutonicorum et Frisonum, eorundemque labore duos cogones convin-

* The 24th of June.

ximus trabibus, funibus fortissimis cohærentes, et socia compaginatione vacillandi periculum prohibentes quatuor malos et totidem antennas ereximus in iis. In summitate castellulum firmum asseribus et opere reticulato contextum collocantes, contra machinarum importunitatem, coriis vestivimus illud per circuitum et super tectum contra ignem Græcum. Sub castellulo abricata fuit scala funibus fortissimis suspensa et 30 cubitis ulftra proram protensa, perbrevi tempore feliciter consummata. Invitati sunt ad illud videndum majores de exercitu, ut, si aliquid deesset quod sumptibus humano ingenio suppleri deberet, perficeretur, et accepto responso quod tale opus ligneum nunquam ante super aquam conpositum fuisset, properandum esse consideravimus, quia crebris machinarum ictibus pons pro magna parte destructus fuit, qui de civitate ducebat ad turrim hostes fidei. Sexta igitur feria ante festum sancti Bartholomaei* nudis pedibus cum devotione gentis nostrae ad sanctam crucem processionem fecimus: ubi implorato humiliter auxilio Divino, ut res omni careret invidia et vana jactantia, de qualibet gente, quæ tunc erat in exercitu, aliquos ad hujus negotii exsequutionem invitavimus; licet gens Teutonicorum et Frisonum ad naves implendas sufficeret et regendas.

Die sancti Bartholomæi, sexta feria*, quum Nilus excrevisset vehementer, et aquarum impetus negotium plurimum impediret, cum multa tamen difficultate et periculo instrumentum hoc contra torrentem a loco, in quo fabricatum fuerat, trahebatur ad turrem. Navis minor hujus machinæ socia processit velificando; clerici nudis pedibus per littus ambulabant supplicantes. Quum ad turrim ventum esset, duplex illa compositio ad latus occidendale non poterat converti,

* The Feast of Saint Bartholomew is the 24th of August, which, as we learn from the words "sexta feria" six lines farther on, occurred on a Friday in the year 1218.

sed ascendendo directe ad plagam aquilonarem applicabatur funibus et ancoris tandem fixum, licet vis aquarum inundantium illud repellere moliretur. Machinæ sex vel plures directæ fuerunt super turres civitatis et collocatæ ad illud concutiendum. Sed una perniciosior aliis post paucos ictus confracta quievit; sed aliæ sine intermissione grandinis instar lapides emiserunt: nec minori periculo prior navis ad pedem turris collocata substitit. Ignis Græcus comminus de turri et eminus de civitate fulminis instar veniens pavorem incutere potuit, sed per liquorem acetosum et sabulum ac extinctoria subventum fuit laborantibus. Jacuit patriarcha ante lignum crucis prostratus in pulvere;stans clerus nudis pedibus indutus legitimis stolis clamavit in cœlum. Defensores turris extensis lanceis anteriorem partem scalæ subterunxerunt oleo; deinde ignem apposuerunt qui erupit in flammas: quumque Christiani, qui in ea fuerant, concurrerent ad ignis suffocationem, suo pondere caput scalæ depresserunt in tantum ut pons tornatilis fronti appositus inclinaretur. Signifer ducis Austriæ de scala corruit. Saraceni vexillum ducis tulerunt: Babylonii se vicisse putantes vociferati sunt aerem clamore vexando. Christiani de equis descendentes ad supplicationes se prostraverunt complosis manibus, rugatis vultibus: dolore quem pro illis habuerunt qui discrimen sustinuerunt in flumine profundo, et totius Christianitatis dispendium. Ad hanc populi devotionem et elevationem manuum in cœlum, levavit scalam Divina pietas, extinxerunt ignem fidelium lacrimæ, et sic nostri resumptis viribus, cum defensoribus turris: gladiis, saxis, clavis et aliis instrumentis viriliter pugnaverunt. Miles quidam juvenis Leodensis diocecis primus turrim ascendit: Friso quidam juvenculus tenens flagellum, quo granum excuti solet, sed ad pugnandum connexione catenarum præparatum, ad dextram et ad sinistram fortissime percussit et quendam tenentem signum croceum Soldani stravit, et vexillum abstulit. Alii post alios successerunt,

superatis hostibus, quos resistentes duros senserunt et crudeles. O ineffabilis Dei pietas! O inexplicabilis Christianorum hilaritas! post planctum et luctum, post fletum et gemitum gaudium vidimus et triumphum. Te Deum laudamus, Benedictus Deus Israel, et alia cantica gratiarum altis et præ gaudio cum lacrimis mixtis vocibus repetitis laudibus decantavimus.

Interim Saraceni, qui interiori turris se receperant, igne supposito superficiem turris combusserunt. Victores nostri alorem sustinere non valentes regressi sunt super scalam. Pons vero, qui in inferiori parte operis præparatus erat, demissus est ad pedem turris aquis profundis et undique circumfluentibus angustum, malleis ferreis januam aggressi sunt victores, defendentibus eam Saracenis qui erant intrinsecus. Stabat utrumque opus immobile. Asseres scalæ pro parte discussi sunt et ambitus operis fortissimis funibus compositus in multis locis perforatus machinarum ictibus ab hora nona feriæ sextæ usque ad horam decimam sequentis sabbati* immobile. Opus autem reticulatum, quod scalam protegebat, integrum permansit. Castellum, in quo stabant balistarii et super illud lapidum jactatores, tuebatur eos. Tandem inclusi in turre colloquium petebant et sese sub pactione vitæ dederunt duci Austriæ, præter illos qui nocte præcedente præcipites per fenestras evaserunt turris angustas, quorum plures in flumine submersi sunt et interfecti, captivi vero numerati sunt ad 100 vivos. Ab illo die quum confusi essent Babylonii et territi, et ut putabatur ad fugam parati, principes nostri ad desidiam et inertiam devoluti sunt, nec imitati sunt Judam Maccabæum, qui videns quod tempus juvabat ipsum hostibus non dabat requiem. Cogones se præparabant ad recessum Frisonum et Teutonicorum. Abiit multitudo maxima in passagio sanctæ crucis instanti. Ad il-

* That is from 3 o'clock on Friday the 24th of August till 4 o'clock the next day.

lud passagium venerunt Romani et post eos Albanensis episcopus, apostolicæ sedis legatus, deinde magister Rob. Corcon, tituli sancti Stephani in Cœlio monte presbyter cardinalis, Parisiensis, Girunden. Agren. et Hungren, episcopi, qui mortui sunt ante transitum fluminis in sabulo Damiettæ; Card. Rob. similiter :venit etiam comes Nivern. qui imminente periculo cum Christianorum recessit scandalo; Comes de Marchia et Comes Barri et filius ejus frater Willelmus de Carnoto magister militiæ Templi, Herveus de Ursone, Iterius de Tocte, Oliverius filius regis Angliæ et multi alii equestris ordinis et plebeii apud Damiettam diem clauserunt extremum. Multi pro Christo confessores apud Damiettam rebus humanis exempti migraverunt ad Dominum.

Sapiens corde et fortis robore qui facit magnalia et inscrutabilia, quorum non est numerus, qui excelsos judicat, qui ponit humiles in sublimi, ipse magnificatus est solus in obsidione Damiettæ. Non enim, ut in aliis expeditionibus contra Saracenos diversis temporibus ordinatis, per humanum consilium aut bellatorum ministerium, sed per semet ipsum, quod petere non praesumpsit homo per suæ divinitatis potentiam mirabiliter operatus est; non regibus, non principibus aliis vel nationibus sed nomini suo dans gloriam, ut in nobis peccatoribus completa sit promissio prophetica: Vos tacebitis et Dominus pugnabit pro vobis. Post captam siquidem turrim in profundo fluminis Nili sitam, Saphadinus inveteratus dierum malorum dolore, sicut asseritur, tactus, nimio exheredator fratruelium suorum et usurpator regnorum Asiæ, mortuus est et sepultus in Inferno.

Postmodum in festo sancti Dionysii* Saraceni cum galeis armatis improvisi venientes et principia castrorum, ubi Romani tentoria fixerant, invadentes, a modica manu Christianorum repulsi sunt recurrentes celeriter ad galeas, qui gladios persequentium

* The 9th of October.

ac fluminis voraginem evadere potuerunt. Sicut autem olim Ægyptii in aquis vehementibus maris rubri, sic in Nilo submersi sunt circiter ad mille quingentorum numerum, sicut a Saracenis postea didicimus. Sane in festo sancti Demetrii, qui frater uterinus beati Dionysii fuisse dicitur, summo diluculo castra Templariorum invaserunt hostes, et modicum damnum nobis inferentes per expeditos equites nostros fugati sunt ad pontem, quem procul a nobis in superiori parte fluminis construxerant, et ibidem interempti sunt ad numerum quingentorum, sicut a transfugis intelleximus. Porro quia multi de populo Christiano Domino placuerunt, necesse fuit ut tentatio probaret eos. Jonas pro angustia tempestatis in mare missus et ventre piscis conclusus, probatus rediit ad aridam: Apostolus triplici naufragio tribulatus evasit. Populus Domini triduano præmisso jejunio, quod clerus in pane et aqua servavit obedienter et multis processionibus ordinatis a venerabili domino Pelagio Albanensi episcopo, apostolicæ sedis legato, tentari meruit. Nam in vigilia sancti Andreæ* apostoli media nocte intumuerunt fluctus maris crescentes et excursum terribilem facientes usque ad castra fidelium. Ab alia parte fluvius inundans nos occupavit incautos; natabant tentoria, perierunt cibaria, pisces fluviales et marini se quasi nihil timentes cubiculis ingerebant, quos manibus cepimus: quibus tamen deliciis carere voluimus, et nisi consilio Spiritus Sancti ante provisum esset in fossato, quod tamen in alios usus factum fuerat, mare conjunctum flumini homines cum jumentis, naves cum armis et victualibus detraxisset ad hostes, nec tamen hoc periculum evaserunt quatuor cogones, super ædificata fuerant propugnacula ad capiendam civitatem,

* The 29th of September.

qui uno impetu cum quinta navi quæ inter eos hærebat ad oppositam ripam vi ventorum præcipitati ante oculos nostros sunt igne Græco combusti.

Pepercit Dominus operibus Frisonum et Teutonicorum quibus turris capta fuerat. Naves oneratæ quæ in portu maris stabant ruptis repente funibus perierunt. Duravit hæc tempestas per triduum continuum; quo elapso Dominus qui consolatus est nos in omni tribulatione nostra imperavit ventis et mari stare faciens ipsum a fervore suo. Invasit præterea multos de exercitu quædam pestis, contra quam physici nullum ex arte sua remedium invenire poterant. Dolor repentinus pedes invasit et crura, et conjunctim caro corrupta gingivas et dentes obduxit masticandi potentiam auferens, tibias horribilis nigredo fuscavit,et sic longo tractu doloris afflicti cum patientia multa migraverunt ad Dominum plurimi. Quidam usque ad tempus vernale durantes beneficio caloris evaserunt liberati.

Post dictam tempestatem naves parabantur ad transitum fluminis, quæ cum magno periculo sursum ascendentes inter civitatem ac turrim captam, machinis et igne Græco cum jaculis plurimum sunt impeditæ. Unde accidit ut una navis Templariorum, vi torrentis rapta prope ripam civitatis præcipitaretur ad hostes, qui cum barbotis et uncis ferreis ipsam impugnaverunt diutius, ignem Græcum cum lapidibus desuper de turribus projicientes; et quum sic prævalere non valerent propter defensorum audaciam, certatim navim ascendentes præcipites in eam decenderunt ad Templarios. Ubi quum diutius pugnaretur, tandem navis perforata sive ab hostibus, sive a nostris, incertum habemus, sed a nostris est credendum, profundum petiit, submergens Ægyptios cum Christianis, adeo ut vix summitas navis appar-

eret super aquam, et sicut Samson plures secum traxerunt in aquæ voraginem quam gladiis interficere potuissent.

Cives autem Damiettæ cruentam victoriam suam fere septem diebus planxerunt. Exinde pontem reparantes, aperturam adeo reliquerunt angustam,ut naves nostræ sine periculo ascendere non possent. Teutonici autem et Frisones, zelo justæ indignationis accincti, cum minori navi cujus ministerio turris capta fuit, quam Gallici sanctam matrem appellant, pontem viriliter invaserunt, auxilium non habentes nisi de cœlo: pauciores autem viri quam decem de gente praedicta, contra omnem fortitudinem Babyloniorum pontem ascendentes, spectante multitudine Christianorum et hanc audaciam plurimum extollente, fregerunt eundem, et sic cum quatuor navibus, super quas erat pons fundatus, reversi sunt cum triumpho,liberam viam et apertam sursum velificantibus relinquentes.

His itaque gestis, Saraceni, periculum quod iis imminebat attendentes, ripam nobis oppositam fossatis et argillosa materia cum propugnaculis ligneis altis munierunt,machinas et petrarias locantes ibidem, nobis spem auferentes per locum illum transeundi. A casali vero, quod per milliare fere distat a civitate,ubi hæc nova munitio terminabatur, per transversum fluminis navium immersiones fecerunt cum palis infixis gurgiti. Nihilominus apostolicæ sedis legatus, desiderium bonum habens obsidendi civitatem, naves superius congregatas urgebat ad transitum. Unde cogones cum propugnaculis et castellulis viris etiam armatis muniti, cum galleis et aliis navibus sequentibus, Christo duce præscriptas immersiones evaserunt. Hostes autem, dissimulato metu, tres ordines armatorum stationi navium nostrarum contraposuerunt, unam peditum super ripam cum clipeis quas 'targias' appellant lineanter ordinatam,

secundam post dorsum eorum similem priori, tertiam equitum longam et terribilem, ictibus lapidum et telonum plurimum vexantes stationem Christianorum.

Sane nocte solennitatis sanctæ Agathæ * virginis et martyris, quum adunatus esset populus fidelium qui sequenti die transiturus erat, pluviæ et venti multum discriminis et difficultatis addiderunt nostris. Sed fidelis Deus, qui non patitur suos tentari supra id quod possunt, respiciens ad castra servorum suorum, quod secundum inferiores causas difficile fuerat vel impossibile, convertit in facilitatem et gaudium, suæ virtutis innovans mirabilia. Post mediam siquidem noctem tantum pavorem Soldano Babylonis et satrapis ejus incussit, ut relictis castris, ignorantibus etiam Ægyptiis, quos ad resistendum ordinaverat, in sola fuga spem poneret. Quidam apostata, qui multo tempore Christianorum legem transgressus cum Soldano militaverat, stans in ripa Gallice clamabat "Quare moramini? quid trepidatis? quid hæsitatis? Soldanus abiit!" et hoc dicto, se in navicula Christianorum recipi postulavit, ut in potestate eorum positus fidem dictis faceret. Summo igitur diluculo, quum inchoatum esset missæ diei festi officium per oratoria Christianorum "Gaudeamus omnes in Domino," nunciata sunt hæc legato et regi et aliis.

Itaque fugientibus Ægyptiis, nostri certatim et alacriter absque omni impedimento hostium et sanguinis impensa transierunt, sed adeo limosa et profundioribus aquis difficilis fuit ad applicandum terra hostilis, ut vix equi sine sessoribus et sellis erecti possent ascendere. Templarii præduces in ascensu equorum erectis signis proprio cursu ad civitatem festinaverunt,

* The 5th of February.

sternentes perfidos, qui audacter de portis egressi venientibus occurrerunt. Non gloriabitur securis contra eum qui secat in ea, neque serra contra eum qui trahit in ea. Miraculum istud cui æquabimus vel cui comparabimus, nisi ei quod legitur de Benadab rege Syriæ, qui obsedit Samariam arctans eam plurimum, cui Dominus tantum immisit timorem, ut relictis castris fugeret, et sicut per leprosum in anima, præfatum videlicet apostatam, nunciata fuit Ægyptiorum fuga. Et sicut ille populus Samaritanorum spolia in castris Syriorum relicta collegit, sic noster exercitus tentoria et manubias fugientium diripuit, targias plurimas et omnes galleias cum barbaris et aliis navibus, quæ infra Casale usque ad civitatem inveniebantur, cum aliis spoliis victores occupaverunt. Multi bellatores, relictis uxoribus ac parvulis, territi propter inopinatum transitum de Damietta fugerunt, et sic per gyrum ac firmiter obsessa est civitas; exercitu exercitui continuato per pontis compositionem utramque ripam fluminis contingentem: per desidiam autem et inertiam eorum, quorum nomina Deus scit, factum est ut hostes, resumptis viribus et animis, adveniente etiam Coradino cum alapinis, cum magna multitudine locum illum occuparent, a quo nostri transitum miraculosum fecerant, et sic nos obsidentes civitatem ipsi periculosius obsederunt, et nisi per divinum consilium prima castra, quæ erant intra mare et fluvium, retenta fuissent, et maxime per Teutonicos et Frisones, portus nobis ablatus fuisset et negotium periclitatum vacillasset. Ut autem miraculum transitus magis claresceret ac soli Deo firmiter ascriberetur victoria, ad tantam Saraceni pervenerunt temeritatem, ut diluculo Sabbati ante Dominicam "Oculi mei semper ad Dominum", tale periculum non prævidentibus, cum multitudine gravi propius accederent,

et usque in fossatum se præcipitarent, sed Divino auxilio cum damno equitum et peditum repulsi sunt.

ANNO GRATIÆ MCCXIX, regina civitatum Jerusalem, quæ videbatur inexpugnabiliter munita, destructa ést a Coradino filio Saphadini; foris et intus muri ejus cum turribus redacti sunt in acervos lapidum præter templum Domini ac turrim David. De sepulcro glorioso destruendo consilium habuerunt Saraceni, et per literas comminati sunt quas civibus Damiettæ transmiserunt ad ipsorum solatium, sed huic temeritati nemo praesumpsit manus apponere propter loci reverentiam: sicut in libro Alcorano legis eorum habent, Jesum C. D. Nos. credunt de Maria virgine conceptum et natum, quem sine peccato vixisse prophetam et plusquam prophetam protestantur, cæcos illuminasse, leprosos mundasse, mortuos suscitasse, firmiter asserunt. Verbum et Spiritum Dei et vivum ad cœlos ascendisse non discredunt. Unde quando tempore treugarum sapientes ipsorum Hierosolymam ascendebant, codices evangeliorum sibi postulabant exhiberi et osculabantur, pro munditia legis, quam Christus coluit, et maxime propter evangelium Lucæ "Missus est Gabriel angelus;" quod literati inter eos sæpius repetunt et retractant: lex autem eorum, quam Diabolo dictante ministerio Sergii monachi et apostatæ ac hæretici Macomettus Saracenus didicit Arabice scriptam, a gladio cœpit, per gladium tenetur et in gladio terminabitur. Macomettus iste illiteratus fuit, sicut ipse protestatur iu Alcorano suo, et quæ prænominatus hæreticus dictavit, ipse promulgavit et per comminationes observare statuit. Luxuriosus enim fuit et bellicous: ideoque de immunditia et vanitate legem statuit, quam carnaliter viventes in parte voluptatis firmiter observant, et, sicut legem nostram veritas et munditia muniunt, ita errorem ipsorum timor mundanus et hu-

manus ac voluptas carnalis firmissime custodiunt.

In die palmarum anni præscripti, inimici nostri, multa comminatione præmissa quod seipsos vel nos omnes una die perderent, collecto terribili et innumerabili exercitu equitum et peditum, irruerunt super nos, undique fossatum nostrum invadentes et maxime pontem Templariorum et ducis Austriæ, quem ipse cum Teutonicis defendere studuit. Hostes, cum electis militibus suis descendentes, cum Christianis atrociter pugnaverunt. Ceciderunt hinc inde mortui et vulnerati: multi tandem adeo, quod pontem ascendentes partem ejus combusserunt. Dux Austriæ præcepit suis ut ponte relicto aditum darent instantibus et introitum, sed intrare non præsumpserunt propter militiam nostram, quæ acies suas ordinaverat in subsidium munitiones defendentium.

Mulieres aquam et lapides, vinum et panes bellatoribus nostris intrepide ministrabant; orationi sacerdotes insistebant, vulnera sauciatorum ligantes et benedicentes. Eo die non est nobis datum spatium gestandi alias palmas quam balistas et arcus cum sagittis, lanceas et gladios cum clipeis; adeo instabant et vexabant atrociter, qui venerant ad perdendum nos studio liberandæ civitatis, ab ortu solis usque ad horam fere decimam: tandem fatigati retraxerunt se cum damno maximo. Instabat autem passagium vernale: recessurus erat dux Austriæ, qui per annum et dimidium Christo fideliter militaverat, plenus devotione, humilitate, obedientia, largitate, qui præter alios innumerabiles sumptus, quos in negotiis bellicis ac privatis eleemosynis fecerat, domui Teutonicorum 6000 marcas argenti vel amplius ad comparandum proelium creditur contulisse.

In Calendis Maii magna multitudo peregrinorum cœpit

recedere a nobis in summo periculo relictis, sed Pater noster benignus et misericors dux et propugnator noster, defensor sperantium in se, cui facile in paucis ut in multis vincere, Jesus Christus Dominus noster, non permisit incredulos simul in nos irruere, donec novi recentesque peregrini cum copioso succursu supervenirent. Copia victualium et equorum nutu Divino transmissa collectionem fidelium lætificavit.

Instaurato igitur fidelium numero, in festo ascensionis Domini, more suo per terram et per aquam irruerunt perfidi, et multoties sic attentantes prævalere non valuerunt. Particulariter etiam prope castra nostros provocabant damnificantes et damnati. Pridie vero calendas Augusti, omnem quam habere poterant adducentes copiam, post diutinos assultus tandem contra militiam Templi transeuntes et licias violenter rumpentes, nostros pedites verterunt in fugam, adeo ut totus exercitus Christianorum jam periclitaretur. Milites de Francia seculares et equites ter conati sunt ipsos repellere longius extra fossatum, sed non potuerunt. Saraceni autem siquidem intra mœnia nostra, fractis munitionibus ligneis, equitum ac peditum acies ordinaverunt. Clamor orsus est insultantium, omnis multitudo eorum præparavit sequelam, timiditas aucta est Christianis, sed spiritus, qui induit Gideonem, animavit Templarios; magister Templi, cum marescallo cæterisque fratribus qui tunc aderant, per exitum angustum impetu facto viriliter in fugam convertit incredulos. Domus Teutonicorum et comites, aliique milites de diversis nationibus, videntes Templi militiam in periculo constitutam, festinanter per exitus sibi contrapositos tulerunt auxilium. Sic pedites Saracenorum, abjectis clipeis, interficiebantur, præter eos quos fuga præcipitans percussoribus abstulit: post equites nostros egressi pedites nostri per modicum

spatium se retraxerunt, hostium acies hinc inde substiterunt armati, donec crepusculum vespertinum proelium interemit. Saraceni priores abierunt; occisorum corpora perfidorum strata jacebant juxta fossatum plurima, præter eos qui sauciati graviter vel leviter reducti sunt ad castra. Sic salvavit Deus in illa die sperantes in se per virtutem Templariorum et eorum qui ipsis cooperati discrimini se commiserunt: pauci de nostris interfecti sunt et capti.

Instrumenta contra civitatem parata combusta sunt a defensoribus ejus fere omnia. Pisani, Januenses, Venitiani firmiter asserebant se civitatem expugnaturos per quatuor naves super quas scalæ pendebant. Sed ipsi non erant de genere eorum per quos facta est salus in Israel. Volebant enim sibi nomen facere cum tubis et calamillis et signis multis progressi. Legatus Apostolicæ sedis sumptus iis præbuit copiosos de communi. Rex et alii chordas et ancoras prout requirebant exhibuerunt abundanter.

Aggredientes itaque civitatem prima die multos interfecerunt et vulneraverunt, et quanto sæpius postmodum assultum fecerunt, tanto magis muri firmati sunt ligneis castellulis ac litus. Defensores etiam robustius et efficacius se venientibus opposuerunt, et sic scalæ, mutilatæ per ignem ac pluries reparatæ, tandem infecto negotio redactæ sunt ad ripam: et sic deprehensum est et veraciter intellectum, sola virtute divina Damiettam in manu Christianorum esse tradendam. Nos vero insensati, et immemores beneficiorum Dei ac mirabilium quæ fecit, provocavimus oculos divinæ majestatis contra nos, et per desidiam majorum et murmurationes minorum pedites equitibus improperabant ignaviam, equites pericula peditum, quando contra Saracenos egrediebantur, dissimulabant. Unde factum

est ut, communibus exigentibus culpis, in decollatione sancti Joannis Baptistæ, * licet vix invenirentur qui in custodia castrorum remanerent, navalem et terrestrem exercitum educentes, ad castra Babyloniorum tenderemus inter mare et fluvium, ubi dulcis aqua reperiri non poterat ad potandum. Ipsi vero sublatis tentoriis fugam simulabant, et quum processum fuisset a nostris, adeo quod appareret adversarios directa fronte nolle confligere, Capitanei nostri longum inierunt consilium, utrum procederent an redirent. Discors inter eos sententia fuit. Interim solutæ acies præter ordinem illorum quos in disciplina militari ligavit obedientia. Equites Cyprii in dextro cornu constituti, Saracenis incursum facientibus timiditatem suam ostenderunt. Italici pedites primi fugerunt: post eos equites de variis nationibus et quidam Hospitalarii sancti Joannis, legato Romanae sedis et patriarcha, qui crucem bajulabat, multum sed frustra supplicantibus ut subsisterent. Æstus solis erat vehemens, pedites armorum pondere premebantur; calorem auxit labor viæ, et qui secum vinum detulerant in angustia sitis bibebant illud purum propter defectum aquæ. His omnibus concurrentibus, qui subsistentes se defenderunt, et post primitivos fugientes anhelo cursu terga dederunt, extincti sunt sine vulneribus corruentes. Rex vero cum Templariis et domo Teutonicorum et Hospitalariis sancti Joannis et de Hoilandia, et de Wite et de Salebruge et Cestr. comitibus, Waltero Bertoldi, Francigenis, Pisanis, aliisque militibus impetum persequentium sustinuit. Rex igne Græco fere combustus fuit: hi omnes pro muro fuerunt fugientibus; quoties facies suas ostenderunt hostibus, illi fugerunt; quando vero gradatim revertebantur, ictus

* The 29th of August.

et tela sustinuerunt inimicorum. Capti sunt in illa defensione Christianitatis Belluacensis electus et frater ejus Andreas de Nantoilo, Camerarius Franciæ, et filius ejus, et vicecomes de pulcro monte frater Andegavensis episcopi cum Joanne de Arcis viro nobili et valde strenuo, Henricus de Ulma et alii[1] multi qui trucidati sunt et in captivitatem ducti; Templarii triginta tres capti vel occisi sunt cum marescallo sancti Joannis et quibusdam aliis fratribus ejusdem domus.

Nec evasit sine damno domus Teutonicorum: militia Templi, quæ prima solet esse in congressu, ultima fuit in regressu. Unde quum ad fossatum nostrum novissima rediret, foris substitit, ut anteriores intra mœnia quantum possibile fuit reduceret; persequutores ad captivos deducendos et spolia colligenda tandem redierunt, sicut intelleximus postmodum a Saraceno, quingenta capita Christianorum Soldano præsentantes. Mœror nostros occupavit, sed nulla desperatio: pro certo enim habemus quod pœna peccati fuit hæc castigatio, et minus erat in pœna quam exigeret culpa, Ipso temperante vindictam qui dicit animae peccatrici: Tu formata es cum multis amatoribus, tamen revertere ad me et ego suscipiam te. Constat autem nobis quod in praecipua militia sua luctuosa sibi damna sustinuerunt increduli: sane miserator Dominus qui non obliviscitur misereri, nec continebit in ira sua misericordias suas, qui in tribulatione peccata dimittit, qui dicit de tenebris lucem splendescere, luctum nostrum convertit in gaudium, mœrorem in laetitiam. Nam Soldanus unum de captivis nostris mittens de pace vel treuga nobiscum tractare cœpit. In quo tractatu fossatum nostrum et munitiones alias reparavimus alacriter. Interim nautae Christianitatis proditores et cum iis peregrini plurimi magis se ipsos amantes quam fratri-

bus compatientes ante tempus consueti passagii agonistas Christi in summo periculo reliquerunt: elevatis velis abjecto portu nobis mœstitiam, Babyloniis audaciam contulerunt; qui tractatum pacis intermittentes, in vigilia sanctorum Cosmæ et Damiani et sequenti die festo, proximo etiam Sabbato cum galeis et barbotis per flumen cum mangonellis,targiis, fruticibus pro implendo fossato per terram feritate barbarica et impetu consueto nos petierunt. Sed durus bellator, triumphator in Israel solita usus gratia castra sua defendit, misso per mare Savarico de Mallet. cum galeis armatis, et bellatoribus plurimis in ipso necessitatis articulo, et nos clamantes in cœlum, nec trepidantes ad prœlium, sed viriliter resistentes, interfectos, sauciatos, confusos, ab insultu triduano recedere coegimus, ipsius virtute, qui salvat sperantes in se.

Interea civitas, obsidione longa, ferro, fame et pestilentia graviter et ultra quam scribi possit afflicta, in sola pace quam Soldanus civibus promisit spem posuit; adeo enim in ea fames invaluit, ut cibi desiderabiles deessent: panis corruptus abundavit in ea. Durabilis non est annona Ægypti propter molles glebas in quibus crescit, nisi superius circa partes Babylonis artificiose servetur in annos; et sicut audivimus coctanum unum undecim bezantiis vendebatur in ea. Ex angustia famis diversa morborum genera vexabant eos, et inter cætera incommoda quæ sustinuerunt, noctibus velut acrisia percussi apertis oculis nihil videre dicebantur. Soldanus de die in diem vanis promissionibus ipsos a deditione dehortatus decepit miseros. Postremo autem portas suas obstruxerunt intrinsecus, ne aliquis ad nos veniens de suis nunciaret, quoniam dies afflictionis possederunt eos. Si quis vero per posticum vel de muris per funes evadere potuerit, inflati et famelici civium suorum angustiam

probabant evidenter. Illis etiam, qui foris in exercitu Saracenorum nos obsederunt, copia panis et pabuli cœpit deficere. Nilus siquidem, qui post festum sancti Joannis baptistæ usque ad exaltationem sanctæ crucis* solet excrescere et Ægypti planitiem irrigare, hoc anno more suo non ascendit ad signum quod ponere solent Ægyptii, sed prout intelleximus magnam partem terræ siccam reliquit, quæ nec arari poterat nec seminari suo tempore. Unde Soldanus caristiam timens et famem, etiam amore retinendæ civitatis Damiattæ, talem pacem cum fratre suo Christianis obtulit, ut crucem sanctam, quæ olim capta fuit in victoria Saladini, cum civitate sancta et omnibus captivis qui per regnum Balylonis et Damasci vivi reperiri possent, sumptus etiam ad reparandos muros Jerusalem redderet; insuper regnum Jerusolymitanum totaliter restitueret, præter tractum et montem regalem, pro quibus retinendis tributum obtulit quantum treuga duraret. Sunt autem hæc duo loca in Arabia sita, septem munitiones firmissimas habentia, per quæ negotiatores Saracenorum et peregrini ipsorum, Mecham tendentes vel ab ea revertentes, transire solent, et qui hæc potenter tenuerit, Jerusalem, quum voluerit, graviter nimis cum agris et vineis lædere poterit. Hanc compositionem acceptandam et humilem esse Christianitati, rex et Francigenæ, comes Cestr. cum capitaneis Teutonicorum censuerunt pertinaciter. Nec hoc mirandum fuit, quia longe minori pace quæ prius oblata fuerat contenti fuissent, nisi sano consilio iis esset obviatum. Legatus autem cum patriarcha et archiepiscopis et episcopis, Templariis et Hospitalariis ac omnibus Italiæ capitaneis multisque aliis prudentibus viris, efficaciter huic tractatui se opposuit, rationabiliter

* From the 24th of June to the 14th of September.

ostendens ante omnia Damiettam fore capiendam. Opinio diversa peperit discordiam quæ cito sedata fuit propter communem necessitatem.

Interea Soldanus magnam multitudinem peditum clanculo per loca palustria misit ad civitatem, quorum ducenti quadraginta Christianis dormientibus licias fuerunt ingressi, Dominicæ nocte post festum omnium sanctorum*;tandem per clamorem vigilium occisi sunt vel capti, quos ad ducentos et plures computavimus, exceptis captivis.

Nonis Novembris,Salvatore mundi regnante et domino Pelagio Albanensi episcopo apostolicae sedis legatione solerter ac vigilanter fungente, capta est Damietta absque deditione, sine defensione, sine violenta depraedatione cum tumultu: ut soli filio Dei ascribatur evidenter victoria,qui populo suo ingressum in Ægyptum inspiravit, et ibidem vires ministravit, ut quum caperetur civitas in oculis regis Babylonis, more solito non fuerit ausus Christi milites ad defensionem paratos per fossatum nostrum aggredi. Eodem etiam tempore fluvius excrevit uberrimis aquis fossatum implens. Ipse vero Soldanus confusus castra propria combussit et fugit. Deus autem, qui tertia die aquas sub firmamento in locum unum congregavit,ipse agonistas suos per aquas maris ad portum Damiettæ perduxit, mense Maio, feria tertia; eosdem traduxit per Nilum ab obsidendam civitatem, mense Februario, feria tertia; idem cepit Damiettam inter aquas sitam mense Novembri feria tertia. Hanc urbem vitulæ conternanti quæ tertio terræ motu subversa est, possumus assimilare. Vitulam appellamus propter ejus lasciviam. Piscibus enim, avibus et pascuis, frumento, hortis et pomeriis abundavit, negotiando,

* The 1st of November.

piraticam exercendo, deliciis effluxit in culpam,pereffluxit in gehenna; sed una hora venit judicium ejus: conternanter dicimus, quia quasi terræ motu tertio habitatores perierunt, ipsa tamen integra manente, a Græcis et Latinis post obsessa fuit sub Almarico rege Jerusolymitano,deinde a Latinis fuit obsessa secundo sub Almarico rege Jerusolymitano, qui non profecerunt. Hac vice tertia rex regum et dominus dominantium servis suis ipsam tradidit, Jesus Christus qui vincit, qui regnat et imperat, qui sementis irrigua siccavit Ægyptiis, qui confudit operantes Sericum et byssum, plectentes et texentes subtilia.

Tali duce Christi milites Damiettam ingressi plateas invenerunt stratas cadaveribus mortuorum, pestilentia et fame deficientium, aurum et argentum multum nimis, pannos Sericos negotiatorum in abundantia, vestes pretiosas et ornatum seculi cum varia supellectile in superabundantia. Civitas hæc, præter naturalem situm quo munitur, triplici muro cincta est, turribus latericis multis et magnis fortissime firmata clavis, et antemurale totius Ægypti, inter Ramasse et campum Thaneos sita, in terra, ut conjicere possumus, Gersen, quia pascualis est, quam petierunt filii Israel a Pharaone tempore famis. Damietta! Damietta! inclyta in regnis, famosa multum in superbia Babylonis,in mari dominatrix,Christianorum spoliatrix,in ascensu persequutorum tuorum per paucas et modicas scalas comprehensa, nunc humiliata es sub potenti manu Dei, et adultero, quem diu tenuisti projecto reversa es ad virum tuum priorem, et quæ prius parturiebas spurios amodo paries filios legitimos ad cultum filii Dei firmiter a cultoribus Christi possessa. Accon. episcopus jam ex te primitias animarum Deo solvit parvulos tuos,qui ab ipso reperti sunt vitales et jam morti proximos baptismatis unda sacramentaliter mundando, multiplices solvisti

pœnas quia præter eos qui vivi comprehensi sunt in te mortui tui promiscui sexus a tempore obsidionis in circuitu computantur ad 19 millia et amplius, quos sine ferro et igne Dominus percussit amodo sustinere dedignatus spurcitias in te commissas. Gaudeat igitur universa ecclesia dignas gratiarum actiones referendo pro tali triumpho, et non solum pro Damietta, sed pro destructa perniciosa munitione montis Thabor, et pro aditu libero ad Jerusalem, ut reædificentur muri ejus tempore ab Altissimo proviso, pro castro præterea peregrino quod magnis sumptibus ædificat viriliter et inexpugnabiliter militia Templi ut superius plenius scriptum est; contrivit Dominus baculum ipsorum, confregit cornua superborum, terribilis in consiliis super filios hominum, portas Damiettæ potenter aperuit.

Ingredientibus nobis occurrit fœtor intolerabilis, aspectus miserabilis; mortui vivos interfecerunt. Vir et uxor, dominus et servus, pater et filius se mutuis foetoribus interfecerunt. Non solum plateæ mortuis erant plenæ, sed in cubilibus, et lectis jacebant defuncti. Extincto viro mulier impotens surgere et sublevantis carens solatio putredinem non ferens expiravit: filius patrem vel e contrario ancilla juxta dominam, vel vice versa languore deficiens jacebat extincta. Parvuli petierunt panem et non erat qui frangeret iis. Infantes ad ubera matrum pendentes inter amplexus morientium occitabant. Delicati divites inter acervos tritici interierunt fame, deficientibus cibis in quibus erant nutriti, pepones et allicia, cephas et altilia, pisces et volatilia frustra desiderantes. Multitudo vulgi contrecta vel oris molestia diutius fatigata deficiens obiit. Completum est in iis prophetæ vaticinium Pro suavi odore fœtor quasi cadaver putridum, non habebis consortium in sepultura. Octoginta millia, sicut captivis referentibus didicimus, a tempore quo perfecta

est obsidio perierunt in civitate, exceptis iis quos sanos vel languidos quasi tria millia et amplius, quorum 350 spectabiles utriusque sexus ad redemptionem captivorum nostrorum reservantur: alii mortui sunt post victoriam, alii magno pretio venditi, alii baptizati Christo donati sunt. Civitas hæc gradatim murata primum murum habet humilem ad custodiam fossati, secundum altiorem, tertium eminentiorem: secundo murus medius 28 turres habet principales binas vel trinas testudines continentes, quæ omnes remanserunt integræ cum muris præter unam quæ crebris ictibus crebutuli Templariorum concussa fuit aliquantulum. Adeo noster exercitus ad pigritiam resolutus fuit, ut milites otio dediti negligerent opus Dei. Vulgus ad tabernas et negotiationes fraudulentas se convertit. Catti duo ad fossatum implendum magnis sumptibus compositi fuerunt, quorum unus in custodia regis, alter in custodia Romanorum combustus fuit, quum adhuc potentes essent in armis custodes civitatis: fossæ duæ subterraneæ factæ fuerunt ad suffodienda fundamenta munitionum, sed labor frustratus fuit propter expensas plurimas. Sic Dominus voluit dare civitatem integram sine damno capientium eam et virtute. In commune juravimus omnes ut asportata de civitate spolia redderentur inter victores dividenda. Hoc etiam sub anathemate terribili fuit præceptum a domino legato apostolicæ sedis, transgressores perpetuo remanebunt infames, cum Achor qui furatus fuit præceptum de anathemate Jericho computandi. Veruntamen concupiscentia oculorum plures fecit, præcepimus autem ad utilitatem reipublicæ magnam partem deliciarum Ægypti in auro et argento, perlis, et pomis, ambre, filis aureis et philacteriis variis, pannis Sericis pretiosis, sicut enumerat Isaias: In illa die auferet Dominus ornamenta calceamentorum et linulas et torques, mo-

nilia et armillos et mitras, discriminalia et periscelidas, murenulas et olfactoria in aures, et annulos et gemmas in fronte pendentes, mutatoria et palliola, linteamina et acus et specula, sindones et vittas et terrestria quae omnia nemo dinumerare poterat, sed ad ponderandum multum temporis impendimus, quae distributa sunt per exercitum Domini cum annona quae reperta fuit in civitate.

Non minori miraculo, immo majori, donavit Dominus Christianis Thamnis mense Novembri, in festo beati Clementis * qui habet habitaculum suum in mari. Nam missi sunt exploratores numero quasi mille viri in naviculis per parvum fluvium qui fluvius Thamnis appellatur, ut de casalibus tollerent sibi victualia et statum prædicti loci diligenter explorarent. Saraceni qui erant in præsidio castri, visis Christianis putantes totum adventare exercitum, serratis portis fugerunt: nostri vero solum Christum capitaneum habentes ibidem erumpentes claustra intraverunt castrum: testati sunt nobis redeuntes se nunquam in plano fortius castrum vidisse; septem turres habet firmissimas testudinatas desuper, per giruun duplici fossato et utroque murato cingitur habens antemurale: lacus se diffundit in latum per circuitum in tantum ut aditus equitibus hieme sit impossibilis, æstate difficilis adeo ut per nostrum exercitum obsidione nunquam caperetur. Lacus piscosus est valde, de cujus piscariis Soldano Babyloniæ solvebantur annuatim quatuor marcæ: quibus insuper et salinus abundat. Casalia multa per circuitum serviebant ei. Civitas autem major Damietta ante castr. Olida famosa, nunc autem ruinosa: hæc est Tamnis cujus campi meminit propheta David et Isaias: Stulti principes Tham-

* The 23rd of November.

neos: sapientes consiliarii Pharaonis dederunt consilium insipiens. Hæc est Thamnis, in qua lapidatus asseritur Jeremias. Destructa enim olim Hierosolyma a Babyloniis et Godolia Ismaele interfecto, reliquiæ populi contra consilium Jeremiæ profectæ sunt in Ægyptum, Jeremiam secum ducentes, qui mansit cum iis in Thamnis, et factus est sermo ad Jeremiam in Thamnis: Sume lapides grandes et absconde eos in crypta quæ est sub muro latericio in porta domus Pharaonis &c. Postmodum loquutus est Jeremias; Hæc dicit Dominus, Ego juravi in nomine meo magno, quod omnes viri Juda qui sunt in terra Ægypti gladio et fame peribunt, donec penitus consumantur, et insurrexit populus adversus Jeremiam, et lapidaverunt eum lapidibus, quos abscondit sub muro latericio. Ægyptii vero honoraverunt prophetam, sepelientes eum juxta tumulum regum, memores beneficiorum quæ præstiterat Ægypto: oratione enim sua fugaverat bestias aquarum quas Græci comdrillos vocant. Alexander autem Macedo veniens ad sepulcrum prophetæ, cognoscens loci mysterium, transtulit ipsum in Alexandriam et sepelivit gloriose. Cocodrillos autem apud Damiettam invenimus et interfecimus: est autem bestia crudelis homines et jumenta devorans, apertis oculis, solo visu ova sua fovet, expulsis pullis statim fugiunt parentem tanquam hostem: quos enim rapere potest in momento glutit et devorat. Distat Thamnis a Damietta itinere unius diei per mare versus terram promissionis, ut facile sit de Accon vel Damietta per mare vel terram vel fluvium præsidium ponere vel victualia mittere. Damna multa Christianis intulit in obsidione Damiettæ, quando naves ad nos accedentes, vel a nobis recedentes vi ventorum delatæ sunt illuc. Nam ante Thamnis littus maris arctuosum et importuo-

sum siaum facit amplum et latum, in quem naves devolutæ sine vento opportuno recedere non valent.

Viris venerabilibus et in Christo carissimis Stephano decano, et Philippo cancellario Parisiensibus, et aliis universis magistris et scholaribus in civitate Parisiensi commorantibus, J. Divina permissione Aconensis ecclesiae minister indignus, talenta sapientiae et scientiae Domino cum usuris reportare.

Post quam Divinae propitiationis munificentia servorum suorum diutinos et multiplices miserata labores, Damiettae civitatem, 60 millibus pugnatorum infra civitatem absque gladio et pugna interemptis, in manus Christianorum tradidit, et castrum Taphneos inexpugnabilem, fugientibus impiis Saracenis nemine persequente, subjecit Christicolis secedentibus prosperis, multi ex nostris tantorum beneficiorum immemores et ingrati Dominum ad iracundiam provocaverunt, variis criminibus animas suas obligantes, et maxime spoliis paganorum et thesauris civitatis, furto et rapina communia exercitus defraudando. Quibus iratus Dominus exemplo Achor qui de anathemate Jericho furtive retinuit, ultione manifesta in mari et in terra eos periclitari permisit, quibusdam eorum a Saracenis captivatis, aliis mari mersis, aliis mutuo a se interfectis. Alii autem pecuniam per sacrilegium retentam cum aleis et meretricibus luxuriose

vivendo turpiter consumpserunt et ita "sordida praeda bonos" eventus habuit, sed miseris possessoribus suis vinculo excommunicationis innodatis fuit in laqueum et in ruinam et cum iis pecunia eorum in perditionem. In illa autem tempestate et tenebroso tempore falsi nominis peregrini supra modum corruperant vias suas, corruentes de peccato in peccatum, Divino timore postposito, et qui in sordibus erant adhuc sordescebant, passim luxuriantes commessationibus et ebrietatibus vacantes, invicem mordentes atque invicem detrahentes: seditiosi, profani et proditores, malitiose negotium perturbantes et Christi exercitus impedientes promotionem, praelatis autem neque obedientiam neque ullam exhibuerunt reverentiam: sed gladium ecclesiasticum contemnentes excommunicationis vilipendebant sententiam. Rex autem Jerusalem cum omnibus fere militibus suis exercitum deseruit, Magister Templi cum majori parte fratrum suorum recessit. Omnes enim Francigenæ milites abierunt. Dominus autem patriarcha nobiscum in exercitu noluit remanere. Omnes autem qui de Cypro erant nos reliquerunt et generaliter omnes fere orientales tam prælati quam milites seculares absentes erant in exercitu peregrinorum ante Damiettam in maximo periculo remanente. Tanta siquidem paupertate omnes fere milites nostri attenuati fuerant, quod in toto exercitu quatuor vel quinque vix reperiri poterant qui de suo in Christi servitio valerent sustentari, præsertim quum nec reges nec principes nec alii potentes in exercitu remanserunt, excepto comite Matthæo de regno Siciliæ, qui milites quotquot poterat propriis expensis retinebat. Dominus autem legatus de eleemosynis communicatis quibus poterat providebat. Nostri ergo quia pauci erant et cum Saracenorum multitudine secure congredi non poterant, infra licias et fossata sua ut civitatem

custodirent morabantur. Soldanus autem Ægypti cum exercitu suo itinere unius diei fere a civitate Damiettæ remotus castra sua in insula quadam collocaverat per exploratores suos impios Christianos, qui in exercitu nostro pretio conducti latitabant, nobis multipliciter insidiando, captansque opportunitatem si ex aliqua parte nostris posset aliquas inferre molestias, vel per aliquos viros Belial profanos Christianos inter nostros posset discordiam seminare. Plerumque vero hi qui insidiis latitabant Saraceni aliquos ex nostris incaute exeuntes ducebant captivos vel iis capita abscidebant, pro quolibet enim Christianorum capite Soldanus Ægypti certam spoponderat iis pecuniam. Nostri autem vice versa de suis paucos tamen aliquando capiebant: ipsi namque inermes et expediti, velut capreoli, celeriter fugiebant in lacubus paludosis sese recipientes. De nostris autem militibus et Turcopolis, qui quandoque longius ab exercitu necessitate aliqua equitabant pro lignis deferendis vel graminibus colligendis, equis eorum sagittis vulneratis aliquos quandoque detinebant. Nostros autem conglobatos pariter et in unum collectos nunquam in congressu expectare audebant nisi longe plures nostris fuissent. Aliquando autem arte fugam simulantes, aliquem de nostris indisciplinate subsequentem includentes capiebant. Nostris autem pariter redeuntibus Bedewini eorum habentes eos agiles posteriores sequebantur a longe captantes opportunitatem, si forte aliquem ex nostris ab aliis incaute recedentem detinere valerent. Sed et eorum arcarii a parte posteriori recedentium equos vulnerantes quandoque de nostris aliquos retinebant. Ex quo factum est quod plus quam tria millia Christianorum apud Alex. et Kar. et Damascum capti teneantur in vinculis, quorum quidam a piratis Saracenorum in mari fuerunt capti, alii in prœlio detenti, alii dum pabulatum exirent captivati, multi autem ex pauperibus dum in lacu quodam non multum

a castris nostris remoto piscarentur, vel in ipsius maris litore a nostris longius recedentes, in insidiis ab hostibus latentibus retentitabierunt in captivitatem ante faciem subsequentis.

Quadam autem die quum milites et Turcopoli nostri cum præda magna tam paganorum quam animalium a quodam casali fessi valde et afflicti reverterentur, Turci quidam in insidiis latitantes cum equis recentibus posteriores ex nostris aggressi et telorum multitudine equos nostros vulnerantes magnum nobis damnum intulerunt, quibusdam ex militibus nostris probis valde et marinis strenuis ab ipsis partim captis partim interemptis. Sic ergo casibus subalternis Christianorum exercitus quandoque inferior hostibus captivitatis et mortis detrimenta sustinebat, quandoque superior inimicos crucis Christi partim trucidabat, partim captivatos ducebat. Quoniam autem Saracencautiores erant ad fugiendum promptiores, nostros autem, nisi longe plures essent et manifestam præminentiam attenderent, expectare non audebant, quum ipsi plusquam 3000 ex nostris, ut dictum est, detinerent, vix mille ex ipsis detinebamus captivos. De Saracenis autem frequenter ad nos aliqui transibant, qui tamen Christianorum vitam duram nimis et arctam judicantes, eo quod inter suos quicquid libebat licebat, diutius nobiscum manere non sustinebant, sed ad consuetas immunditias paganorum revertebantur, a nobis occulte recedentes. De nostris autem versa vice quidam miseri et abjecti ad castra paganorum sponte transibant, et in commessationibus et luxuriis et obscenis voluptatibus passim et absque ulla contradictione defixi in fæcibus suis fœdarentur. Quum autem Soldanus Ægyptius multos ex prædictis apostatis recepisset, infidelitatem eorum et levitatem animi non ignorans, astute iis usus est, mittens eos ad remotiores regni sui partes, unde nunquam reverti valerent: ipsi autem adeo viles habebantur

inter Saracenos, quod vix unde miseram vitam sustentarent illis tribuebatur, neque eos in hospitiis suis recipere volebant, sed iis improperabant quod sicut mali Christiani fuerant, ita Saracenorum legem nunquam bene custodirent. Soldanus autem Ægypti modis omnibus procurabat qualiter nostros posset molestare, et exercitum nostrum in plures partes divisum debiliorem reddere: unde mandavit fratri suo Coradino Soldano Damasci quatinus circa partes Occon. munitionem novam, quæ castrum peregrinorum dicitur, obsideret. Ex quo factum est quod multi de exercitu nostro ad castri subsidium abierunt festinantes, et quod Occon. ad exercitum nostrum non venirent ante Damiettam. Alii autem fratri suo quem Seraph nominavit qui princeps est regni Calaph in terra Assyriorum, prædictus soldanus dominus ejus præcepit quatinus circa partes Antiochiæ et Tripolis cum exercitu suo moraretur, ut ex partibus illis nullum possemus habere recursum, sed et galearum in mari multitudinem posuerat, ut transitum peregrinorum et mercatorum impediret, et auxilio eorum qui in Cypro commorantur Christianorum nos privaret. In bargis præterea et galeonibus pugnatorum multitudinem circa castrum Taphneos, et in lacu maximo qui ex una parte fere usque ad castra nostra protendebatur posuerat. In terra autem ex utraque parte Damiettæ Bedewinos et Turcopolos et milites multos habebat, ut exercitum nostrum multipliciter expugnaret, et ita prædictis vii partibus nos infestando septemplices nobis inferebat molestias.

Dominus autem populi sui afflictionem respiciens derelictos non dereliquit, sed clementi bonitate consolatus est desolatos, quibus tamen vexatio dedit intellectum ut in tribulationibus et variis periculis clamarent ad Dominum. Quanto magis siquidem

paucitatem suam humano subsidio destitutam conspicerent, tanto firmius de supernis auxilium expectantes, spei suæ ancoram in Domino projecerunt. Interius enim a Domino visitati et Divinæ praedicationis sermonibus animati, revertentes ad cor et pœnitentiam agentes, confitentes peccata sua, mutati sunt in virum alterum; adeo quod exercitus Domini, respectu ejus quod ante fuerat, quasi claustrum monachorum videretur. Confestim ergo fervore Spiritus Sancti accensi, et saniori usi consilio, omnes publicas meretrices ab exercitu recedere coegerunt: siquas autem ultra terminum præfixum et diem assignatum reperiebant, per medium castrorum faciebant fustigari, et plerumque ferro calido adurentes, cauterium in frontibus imprimebant. Publico insuper edicto proclamari praeceperunt, ne quis causa potationis tabernas frequentaret, vel deciorum vel alearum lusibus operam daret, certam pecuniæ pœnam transgressoribus infligentes. Latronibus autem et homicidis et aliis sceleratis viris non parcebant XII consularii cum marescallo domini legati, qui malefactores punire juramento tenebantur; prædicatoribus autem Divinis et salutaribus mandatis libenter et humiliter intendentes, quod auribus percipiebant, operibus implere satagebant. Quoniam autem pauci valde in exercitu remanserant pugnatores, absque magno et manifesto periculo contra Saracenorum multitudinem congredi non valebant: iidem autem quod poterant devotissime faciebant; civitas populabatur, construebantur ecclesiæ; ædificia vetustate diruta reparabantur; seminaverunt agros, plantaverunt vineas, civitatem undique muniebant.

Ex parte autem opposita civitati super flumen Nili ad custodiam portus et navium mirabilem cum labore maximo construxerunt munitionem, omnes a majori usque ad minorem super collum et humeros sabulum deportantes et in unum locum

congregantes, quasi in collis similitudinem coroni altitudinem terræ erexerunt arcilloso modo sabulum cludentes. Non enim in Ægypto lapides reperiuntur, nisi a partibus Cypri vel Syriæ cum labore magno navigio deferuntur. Construxerunt igitur quasi inexpugnabile castrum, quod fossores vel pecunias non teneant in ignem Græcum. In medio autem turrem ligneam miræ altitudinis erexerunt, non solum ad castri defensionem, sed ut navigantibus Damiettam tanquam signum aremotis appareret. Construxerunt nihilominus in medio maximi lacus, de quo superius fecimus mentionem, aliam munitionem inter urbem Damiettæ et castrum Taph. in medio loco sitam, quam nostri vulgariter Butavant appellant. Ob quam causam Saraceni supra modum doluerunt, eo quod maximam lacus partem nostri iis revertentes infinita piscium optimorum abundantia exercitum nostrum reddiderunt copiosum, et insuper cum bargis et galeonibus suis, sicut prius, exercitum nostrum Saraceni non poterant molestare.

Aliorum autem victualium tantam nobis Dominus attulit abundantiam, ut pro modico pretio milites nostri et alii pauperes sufficienter poterant sustentari. Quum igitur quatuor munitiones haberemus in Ægypto: scilicet Damiettam et Taphn. et Thoron. in sabulo et castrum Butavant in loco amplissimo, nostrorum statu semper in melius crescente, inimicorum conditio urgens ad occasum in deterius profluebat: præsertim quum inter se pugnarent Saraceni et dissentiones haberent,et rex Damasci Coradinus, qui castrum peregrinum obsiderat, cum magna confusione, multis ex suis interemptis, recessisset; frater autem ejus dictus Seraph, audiens regem Judæorum David terram suam invasisse, a partibus nostris coactus est scedere. Hic autem rex David, potentissimus et in armis miles strenuus,

callidus ingenio, et victoriosissimus in prœlio, quem Dominus in diebus nostris suscitavit, ut esset malleus paganorum, et perfidi Macometti pestiferæ traditionis et execrabilis legis exterminator, est ille quem vulgus PRESBYTERUM JOANNEM appellant. Qui, quum fratrum suorum minimus esset, sicut de sancto rege Israel David propheta legimus, omnibus præpositus est, et in regem divinitus coronatus. Quam mirabiliter autem Dominus his diebus promoverit ipsum, et ejus opera magnificaverit, gressus ejus dirigens, et populos innumeros, gentes, tribus, et linguas ejus ditiomi subjiciens, ex transcripto chartæ subsequentis patebit, quam de Arabico in Latinum per fideles interpretes, prout melius potuimus, transferre procuravimus.

EXCERPTA

DE HISTORIA GESTORUM DAVID REGIS JUDAEORUM,

QUI PRESBYTER JOANNES A VULGO APPELLATUR.

In nomine patris et Filii et Spiritus Sancti, Amen! Hæc est materia processus regis David, filii regis Israel, filii regis Sarchisi, filii regis Joannis, filii de Bulchabot credentis in Christo Jesu. Rex David præfatus est minor fratrum suorum: pater ejus rex Israel habuit sex filios, et hic fuit minimus omnium. Mortuo patre ejus, successit ei primogenitus frater ejus, tam et ipse rex quam pater eius rex Israel, et avi et proavi ejus erant obedientes regi Persarum, qui vocatur Canchana, quod dicitur lingua nostra "rex regum," et terra sua erat a Chasar usque ad Bellazacum, quæ terra est ultra flumen quod lingua Persica dicitur flumen Geos.

Præfatus autem rex Persarum, astrologis suis convocatis, quæsivit ab iis, ut ei futura prædicerent, et quæ ventura essent post mortem ejus. Qui juxta consuetudinem eorum receperunt puerum virginem, quem minui fecerunt utroque brachio, et sanguinem ejus recipientes in uno vase, conjuraverunt illum; et puer, antequam mortuus esset, prædixit iis omnia. Dixit quoque quendam regem David, nomine valde nobilem, debere sibi subjugare regnum Persarum. Sic prædictus rex Persarum Canchana quæsivit ab iis, quid super hoc dicerent, et si scirent

in provincia illa qui vocaretur David. Qui dixerunt se nullum scire qui vocetur hoc nomine. Tunc unus eorum: "Rex Israel habet filium unum parvum, qui vocatur David, qui nullius valoris est." Dixit ergo præfatus rex astrologis: "Mittamus fratri suo, ut nobis eum mittat et occidamus eum, et sic de ipso nomine nos deliberabimus." Misit ergo nuncios suos ad regem Indiæ fratrem David, ut ei fratrem suum mitteret, quia volebat ei benefacere et honorifice promovere. Frater autem David, receptis super hoc nunciis suis, cum quibusdam fidelibus suis de quibus confidebat misit fratrem suum ad regem præfatum, dubitans quid vellet facere de fratre suo. Veniente puero ad regem Persarum, lætatus est valde rex de adventu suo. Puer osculatus est terram coram eo, eumque devotissime salutavit, qui valde formosus erat; quem statim ut vidit, misertus est ejus.

Aderant ibi duæ uxores regis, quarum una erat filia regis Joannis, amita regis Israel patris David, altera erat filia regis Ganichi ex qua filium habebat qui vocabatur Phil. Quæ dixerunt ei, Neque vos timetis Deum: puer hic ad vos sub fide vestra advenit, et est sub umbra vestra, et pedibus tetigit tapetum vestrum, et vultis eum morti tradere pro verbis diabolicis vobis annunciatis, videlicet pro his quæ dixit vobis puer, quem minui fecistis et interfici: et valde istud ei improperabant uxores ejus, quarum una erat Christiana, scilicet amita patris ipsius David, et altera erat incredula. Sic rex verecundiam habuit in corde suo, et consideravit quid de hoc facturus esset: demum permissione Divina permisit eum repatriare.

Incontinenti puer cum suis equitavit et instinctu Divino per diem et noctem equitavit quadraginta leucas; tantum properavit suum reditum equitaturas mutando. Accesserunt ad regem

scribæ et astrologi sui, improperantes ei quod male fecerat, quia ipsum redire permisit. Rex autem incontinenti pœnitens ex eo quod fecerat, misit post eum cursores ut eum apprehenderent: quem invenire non potuerunt. Evaserat enim voluntate Divina. Deinde venit ad terram fratris sui.

Post haec spatio trium annorum mortuus est frater ejus, omnesque de regno convenerunt in unum, elegeruntque ipsum in regem eorum pro eo quod ipse videbatur formosus, discretus et magnanimus, et virtute Divina primo bono homine promovit eum in ordinem secundum consuetudinem praedecessorum suorum, et deinde unxerunt eum in regem. Deinde copulaverunt ei in uxorem filiam regis Damachagi, et in tantum ipse laboravit, quod gentis maxime copiam congregavit, quam utique nemo dinumerare poterat, et equitavit super terram Canchana regis Persarum, cui præfatus rex Persarum Ch. occurrit cum multitudine magna et adinvicem pugnaverunt. Sic voluntate Divina et auxilio vivificæ crucis rex David prævaluit, ipsumque devicit, et major pars gentis suæ occisa fuit, præter quosdam qui lavacro baptismatis abluti sunt. Captus est enim rex Persarum Canchana prædictus, et aureis compedibus constrictus, et super currum ductus in terram regis David. Prædictus rex David subjugavit totam terram illius quod regnum regis regum Saracenorum, in quo sunt 64 civitates, quarum una vocatur Damagalcha, alia Casahar., alia Latehelicum, alia Melech, alia Bessibehelec, et c. Chacen. Asguhent, Caogent, Bachara, Samarchanda, Phargana, Againa. Et a Termagasar usque Phargana sunt decem diætæ. A Phargana usque Caogent aliæ decem diætæ. A Bachara usque ad Zarunch. et usque ad Bocarigu decem diætæ. A Bacharigi usque ad Abaar decem diætæ. Item Ararunch. usque Belasarcum decem diætæ.

Postmodum venit rex David ad terram, quæ dicitur Alaanarum, quæ est in confinio Indiæ. In provincia, ubi præfata civitas est Alaanar, sunt tantæ civitates quas dinumerare nemo posset. Civitas, in qua rex Persarum morari consueverat, Cabie vocatur, quæ est maxima civitas et populosa valde; in qua sunt octingentæ machomeriæ et totidem scholæ et dc. fundeci, ubi hospitari consueverant Sophi Saracenorum, qui dicuntur in lingua nostra monachi. Præfatus rex David pugnavit postmodum cum rege dictæ terræ Alaanar, et devicit eum, et tota fere gens ejus occisa fuit præter quandam partem, quæ ad fidem conversa est, et subjugata sibi tota terra illa, reversus est ad terram quæ vocatur Catha. Tunc erant treugæ inter regem Catha et Cavarmisan, et erant inter eos terræ pro indiviso, scilicet Bochar, Samarcant, Bellaseth. Præfatus Cam. misit nuncios suos ad regem David, et concordavit cum eo, deditque ei totam terram, quam habebat ultra fluvium Geos. Postquam ipse fuit securus de rege David,congregavit gentem magnam et ivit super provinciam quandam,quæ vocatur Gorosam, et super magnum Arach et parvum Arach, quæ sunt magnæ provinciæ, et de Arbethem, et venit prope Baldach per sex diætas, qui miserat nuncios suos ad Calipham Baldaceum, qui dominatus fuerat in Baldach per annos quadraginta et unum, qui vocatur Elevanz Ledmabula, quod est interpretatum auxilium legis Divinæ. Istud est cognomen ejus: nomen ejus vocatur Romanzur filius Moucadi. Unde et ædificavit eum caliphas magno timore ductus, quia vires habere non poterat ut resisteret ei,consuluit fideles suos, qui dixerunt ut rogaret Aphelech i. e. patriarcham Indorum, qui in civitate Baldach commorabatur, quod mitteret regi David, ut treugas frangeret Cavarmisa, et sic cessaret ab infestatione sua.

Præfatus Caliphas nocte equitavit cum quibusdam de suis, quia die equitare non consuevit nisi statutis diebus, et ivit ad domum patriarchæ qui morabatur in Baldach, quem statim ut vidit patriarcha, honorifice suscepit et lætatus est valde de adventu suo. Tunc alloquutus est eum Caliphas dicens ei, " In maximo articulo peto auxilium tuum, et fidus amicus in necessitate probatur. Ecce nequam iste Cavarmisam potenter advenit, et si occupat terram istam, omnes Christianos tuos morti tradet, quia valde eos odio habet:" de quo respondit sibi patriarcha verum fore tandem. Dixit ei Calph." Quia hoc modo juvare potes. Rex David et omnes alii qui custodiunt legem vestram nobis obediunt: rogo ut per literas nostras et nuncios vestros regi David præcipiendo mittatis ut guerram moveat contra Cavarmisam et sic cessabit a molestatione nostra. Scio enim pro certo quod si rex David illum molestare cœperit incontinenti ipse repatriabit. Nam si hoc mihi compleveritis, vobis et omnibus qui tenent legem vestram quicquid volueritis concedemus." Respondit ei patriarcha., "Vos scitis quia sacramento tenemur prædecessoribus vestris omnibus et vobis, ut nullas literas mittamus alicui regi Christianorum, nec aliqua nova significemus ei de terra vestra:" ad quod respondit Caliphas "Ego sum dominus terræ hujus et caliphas prophetarum Saracenorum; super hoc licentiam vobis concedo et literas securitatis vobis facio." Sic patriarcha exaudiens preces Caliphæ misit regi David ut dicto Cavarmisam treugas frangeret. Quo audito rex David congregavit gentem innumerabilem et equitavit super terram Cavarmisæ. Audiens autem istud Cavarmisam, ad propria rediit: de quo lætatus est valde Calph. offerens maximam auri quantitatem patriarchæ, quam omnino patriarcha recipere recusavit: unum tantum rogavit, ut faceret ei dirui quan-

dam machomeriam, quæ sibi magnam inferebat molestiam, quam præfatus caliphas sic funditus subvertere fecit in nocte, quod in die etiam signum ipsius non comparuit, et istud fuit primum malum omen legis Saracenæ.

Præterea postquam Cavarmisam ad terram suam rediit, voluit libenter pacificari cum rege David, quod ille penitus recusavit, et sic congregavit innumeram gentem, et transiens Geos flumen præparavit se regi David potenter obviaturum, quem rex David viriliter devicit in campo et major pars gentis suæ occisa fuit. Asserunt quidam eum esse mortuum; quidam dubitant ubi sit.

Interim congregavit rex David gentem maximam et 16 alios viros, quorum unus habebat 103 millia hominum, alius 202 millia hominum, vel parum vel minus, et divisit exercitum in quatuor partibus, quarum quælibet continebat sub se 102 millia hominum; et venit circa flumen Geos, et cepit Choatesmeum, et Meabendi, Tibris Maurvum, Sarches, Thus, Tersis, Dargan, Corassam, Nichaguar, Teemed., Linguardan, Vasa, Baston,Hedemagam,Cerigi, Belcha, Segestem, Sabarstam, Messedenh, Chechi, Melim, Sethen; quæ omnes sunt magnæ civitates, præter alia parva castra, et villas quæ sunt 200; et regnum Soldani Semar, in quo sunt hæ civitates, Misaurum, Delbicau., Desicham, Chuetam, et alia provincia quæ dicitur Delgoc,in qua sunt octo civitates magnæ,et regnum de Marendumer, in quo sunt octo civitates magnæ et 200 castra, et terra ista est in longitudine 20 dierum et in latitudine 12; et hic finis terrarum Guarinsaham regis Soldani Tagiel cum introitu regni Persarum quod dicitur magnum Arach, i. e. magnum regnum, et per tres menses potest equitari; et caput hujus regni est quædam civitas quæ vocatur Fax: aliæ civitates vocantur Aer,

Johem, Sebem, Enec, Seheman, Casurn., Zenean., Cames, Chaseam, Amedan., Ebeban, Sangarahau., Cengeham, Choone, Aimana, et castra qlusquam 300. In terra Diabertam sunt hæ civitates, Nurcis, Heboran., Bellacan., Cheai, Chang., Eschemi, Annume., et terra ista est 47 dierum in longitudine.

Item in provincia, quæ dicitur Chantha, sunt 20 civitates et castra 120, et regnum istud vocatur regnum Ebibich quod dicitur parvum Arach i. e. parvum regnum, et omnes præfatas terras subjugavit sibi rex David, et distat Altisdac per 5 diætas et Ammusther. per totidem diætas, et caput exercitus pervenerat in terram Georgianorum, quos devicit et abstulit iis 40 castra, quia quum erant Christiani confœderati erant cum Saracenis. Post hæc rex David misit nuncios suos ad Calipham de Baldach, qui tulerunt super caput suum vexillum in quo erat crux, quando intraverunt Baldach, quibus dixerunt Saraceni, "Quare fertis crucem super caput vestrum, quum sitis in Baldac?" quæ Saracene Deteselem, quod est interpretatum curia salutis et in acie Saracenorum. Quibus dixerunt nuncii, " Dominus noster rex David præcepit nobis, ut hoc modo intraremus terram, aliter non. Quod si volueritis, revertemur."

Signatum est hoc caliphæ, qui dixit "Intrent sicut velint." quos statim ut caliphas vidit, honeste suscepit assurgens iis, quos juxta se sedere fecit. Cui nuncii ex parte Domini per interpretem loquuti sunt dicentes, "Rex noster vos salutat et significat quod noster Japhelec, i. e. patriarcha, multum se de vobis quod sincerum habuisti semper animum apud Christianos, et honorastis ecclesias nostras, pro quo ipse concedit vobis sextam partem terræ quam tenetis, et vult habere Baldac ut sit ibi sedes patriarchæ." Quibus dixit

Caliphas, "Rex virtute Divina subjugavit sibi totam terram, et ubique personaliter esse non potest: oportet ut per terras conquisitas statuat ballivos suos. Supplico ut me in terra ista ballivum suum statuat, et dabo illi tantum pecuniæ, quantum ipse voluerit." Nuutii dixerunt "Non venimus quærere pecuniam, sed quia audivimus vos fecisse dirui sanctam civitatem Jerusalem, tantum pecuniæ referimus, quod muros ejus auro et argento reædificabimus." Obtulit nunciis exenia valentia centum millia Byzantiorum, quæ nuncii recipere noluerunt. Quando autem rex David pervenit ad terram quæ dicitur Chasjuvi, quam sibi subjugavit, dimisit ibi ballivum suum cum paucis de suis dimittens post tergum suum: homines illius civitatis interfecerunt ballivum regis et alios de familia sua. Quod quum audiisset rex, misit partem gentis suæ ad obsidendam terram illam, quæ obsessa fuit sex diebus. Septimo die in medio noctis ceciderunt tres turres et sex cubiti de muris prædictæ civitatis; et ingredientes Christiani terram ipsam occupaverunt, et in ea 80 millia hominum pugnatorum.

Quæ sequuntur ex alia
charta translata sunt.

Subjugavit Dominus famulo suo regi David terram Baracher, in qua sunt 12 magnæ civitates, et præterea terram Soldani Bogrich, in qua sunt octo magnæ civitates: præterea terram Sachim usque Sachier, 40 diætas, et inde usque et Pharaga

et Margana, 10 diætas. Inde subjugavit terras Cogent., unde venit copia optimi Serici, quæ durat usque Dachara,quæ continet intra se 366 flumina, et judices sex, consules 12 m., et continet 20 diætas, et usque ad terram Arsmoc octo diætæ, et inde usque Satc. 20 diætæ, et transivit ultra fluvium Geos, et in medio terrarum istarum sunt 260 oppida, et villæ magnæ, circa fluvium Geos, cepit dominium Soldani Machemorum, cujus terra dicitur Coresen. In qua sunt hæ civitates, Amonzen., Mero, Sireos, Tos, et Mahum., Dubuli, Seresten., Haborm., Nesaur., unde veniunt optimi Baldelini, Barach, Herce, unde veniunt lapides pretiosi, Bastem. Seeri, Damarichasi. Istæ sunt majores civitates: de aliis oppidis et villis magnis 232 sibi subjugavit. Acquisivit præterea soldani terram Scenecha, quæ continet has civitates, Nessier, Vibangari, Devestam, Gargau, et præterea cepit regionem de Cantun: et de Herim quæ continet octo civitates magnas. Præterea cepit Regines Maaharem., Rediamos, et terram adjacentem, cum 10 civitatibus magnis, 250 munitionibus magnis. Inde cepit regiones Soldani magni, qui potentior est omnibus prædictis, Choreth. Sevahem, unde veniunt optimi Bocaramni homerat continentes quatuor menses in longitudinem et totidem in latitudinem.

Inde cepit terram soldani Therendel., Barach. Deinde venit prope Baldach, cepit a latere terram de Biang., continentem 47 magnas et formosas civitates: inter quas majores sunt Jerahe, Hasaharum, Chachasm., Chan, Casehen., Sephen., unde veniunt optimi Bagaramni, Hamet., et præter prædictas 47 civitates continet villas et oppida magna 320. Postea cepit terram soldani Sardaham, continentem has civitates; Hæma et Marchiam, Celeniestrim, Marahache, unde ve-

nit terra qua abluuntur. Præterea cepit terram admirabilem Bobacce, continentem 11 civitates, cujus metropolis est Chome et Chu., oppida et villas 320, et hæc est ultima regio Persidis ex parte nostra, et inde non est nisi plana terra usque Baldac, scilicet 6 diætæ. Omnia prædicta nomina sunt Persica lingua.

Habet autem rex David tres exercitus, quorum unum misit in terram Calaph fratris Soldani Ægyptii, alium misit in Baldach, tertium misit in Moisan., qui prisco nomine Ninive nominatur. Et jam non distat ab Antiochia nisi per decem diætas, festinans venire in terram promissionis, ut visitet sepulcrum Domini, et reædificet civitatem sanctam: prius tamen proposuit, Deo concedente, subjugare nomini Christiano terram Soldani Ischomen., et Alappiam et Damascum, et omnes regiones interjacentes, ut nec unum post se relinquat adversarium.

Præcedentium literarum exemplarium attulerunt Tripolitani homines ipsius ex partibus illis venientes. Mercatores etiam, a partibus orientis aromaticas et lapides pretiosos deferentes, consimiles literas contulerunt. Quotquot autem de partibus illis veniunt idem dicunt. De exercitu autem nostro quidam a soldano Ægypti capti fuerunt, quos fratri Coradino misit Damac., misit eos domino suo Caliphæ Baldacen.

Ille autem regi David pro magno munere prædictos captivos transmisit, qui postquam eos Christianos esse cognovit, a vinculis absolutos usque ad Antiochiam deduci præcepit, qui prædictos rumores et alia quam plurima de rege David nobis retulerunt.

Soldanus Ægypti, per nuncios prædicti Caliphæ Baldacen. audiens prædicti regis David mirabilem potentiam et mirabiles triumphos, et qualiter fere per ducentas diætas Saracenorum

terras occupasset, nec erat qui ei valebat resistere, consternatus animo et mente confusus, præcepit adduci sibi quosdam nobiles ex nostris, quos in carcere clam detinebat captivos; electum scilicet Beluacensem et fratrem ejus, et vicecomitem Bellimontis, et Joannem de Artois et Odonem de Castellione, et Andream de Pessi, et quosdam de fratribus Templi et Hospitalis sancti Joannis de domo Teutonicorum; per quos pacem cum nostris se sperabant obtenturum: proprios etiam nuncios in exercitu Damiettæ cum literis nobis transmisit, modis omnibus attentans si pacem vel treugas posset nobiscum habere. Christianorum autem exercitus prædictis rumoribus exultabat, et confortabatur in Domino, et maxime postquam literas imperatoris Romanorum Frederici recepimus, cum nuntiis ejus affirmantibus quod, concedente Domino, cum magna virtute et apparatu magnifico venturus esset in proximo Augusto, ad honorem Dei et subsidium Christianorum. Anno siquidem præterito liber quidam Saracenorum magnæ quidem apud eos auctoritatis in manus nostras devenit. Hunc autem quidam eorum astrologus, quem prophetam magnum Saraceni reputabant, a principio legis eorum cum summo studio scripserat.

Prædixerat enim inter alia multa quanto tempore lex eorum permaneret: et quæ sicut gladio cœperat gladio peribit. Prophetavit insuper quanta mala Soldanus facturus esset Christianis; qualiter autem destructionem gentis paganorum et exterminium legis eorum regnum Jerusalem cum multis aliis regnis propriæ subjicerent ditioni. Inde vero, non tanquam vaticinando sed quasi historiam ordinate scribendo, de recuperatione civitatis Accon., et de his quæ in exercitu regis Angliæ et Franciæ et aliorum occidentalium principum acciderunt, aper-

tissime retulit, ac si propriis oculis respexisset. Addidit insuper, sicut oculis nostris videramus, quæcumque usque ad captionem Damiettæ his diebus nostris et Saracenis variis casibus contigerunt; et propter hoc et alia quæ mundo evenerunt, quæ ipse in proximo ventura prædixerat, fidem facilius adhibuimus. Prænunciavit etiam qualiter capta Damietta, Alex., et Chair. et Babyloniam et universas Ægypti regiones Christianorum populus obtineret, Damiettam autem et Alappiam et omnes adjacentes provincias Christianorum princeps potentissimus in virtute exercitus populi Christiani occuparet et civitatem Jerusalem, cum universa Lycia, de manu paganorum liberaret. Quoniam autem qui talia prædixit Saracenus extitit, multi ex nostris verbis ejus fidem adhibere noluerunt, non advertentes, qualiter Balaam ariolus et gentilis de Christo et filiis Israel prophetavit et Nabugod. de futuris regnis et lapide sine manibus de monte exciso. Somniavit etiam Pharao rex Ægypti et felicitatis futuræ et sterilitatis subsequuturæ in somniis prævidit aenigmata. Sed etiam Caiphas, quum esset pontifex anni illius, non a somno, sed a Spiritu Sancto prophetavit loquens; sicut asina Balaam et quæ diceret non intelligens, nec aliquem de sanctis prophetis apertius de Christo et utroque ejus adventu estimo fuisse loquutum quam Dominus loquutus est per Sibyllam: firmius est enim testimonium quod a parte adversariorum profertur.

Ut autem omnis ambiguitas ab his qui dubitant tollatur, hoc præsenti anno Suriani, qui nobiscum erant in exercitu, librum antiquissimum lingua Saracenica scriptum, de antiquis armariis suis ostenderunt; cui erat superscriptio beati Petri, a discipulo suo Clemente in uno volumine redacta. Quicunque autem hujus libri auctor extiterit, ita aperte et expresse de

statu ecclesiæ Dei, a principio usque ad tempora Antichristi et finem mundi, prænuntiavit, quod completione indubitatam facit fidem futurorum. Prænunciat autem inter alia de consummatione perfidæ legis Agarrhenorum, et qualiter imminente et quasi in januis existente destructione paganorum. Primo civitatem Betosam et aquis circumdatam, sic enim Damiettam appellavit, populus Christianorum subjugaturus esset: post hæc vero de duobus regibus novis subjunxit, quorum unum venturum esse a partibus occidentis, alium a partibus orientis, obviam prædicto regi in civitatem venturum prædixit, et quod per manus prædictorum regum Dominus abominabilem impiorum hominum legem exterminaturus esset, multis ex ipsis gladio interemptis, aliis ad fidem Christi conversis, ut intraret plenitudo gentium, et sic omnis Israel salvus fieret, et post hæc veniret filius perditionis et inde finis et judicium. Hunc prædictum apoc. librum postquam universo populo, in sabulo ante Damiettam ad verbum Dei congregato, causa consolationis et recreationis ostendimus, memoratas epistolas............non multo post et rumores jucundos, tam de rege orientali David quam de imperatore Frederico audivimus, sicut in prædictis duobus libris prius audivimus. Unde populus Domini, inter labores multiplices et angustias, quas huc usque pro Christo sustinuit, plusquam dicere possemus gavisus est et in Christi servitio confortatus. Confidimus enim in Domino, quod qui cœpit ipse perficiet; dilatabit tentorii sui locum et longos faciet funiculos suos, et erit sepulcrum ejus gloriosum, et spiritu oris sui interficiet impium: ipse enim mortificat et vivificat, deducit ad inferos et reducit. Ipse pauperes facit et ditat, humiliat et sublevat. Ipsi honor, virtus et gloria!

Dat. in exercitu ante Damiettam in Octavis Paschæ.

Quum bonæ memoriæ dominus papa Innocentins III, pro deliberatione terræ sanctæ, orbem terrarum finesque suos sollicitasset monitis et præceptis, ut universi Christiani subsidio terrae sanctae intenderent, et inimicos crucis Christi, qui terras terrarumque mores et vires Agarenorum, contra quos Christi exercitus dimicaturus erat: mandavit patriarchæ Jerusolymitano ut inquisita diligentius veritate, tam detentores quam terrarum, civitatum, ac castrorum nomina, et consuetudines terrarum indagare, et scriptis commendanda sedi apostolicæ exponere fideliter procuraret. Qui literis apostolicis obtemperans, inquisita super præmissis veritate, exposuit ei in hunc modum.

Duo fuerunt fratres, scilicet Saladinus et Saphadinus: mortuo Saladino, qui habuit 9 filios, regnavit in Juda Saphadinus frater ejus, qui occidit omnes nepotes suos præter unum, qui vocatur Noradinus, qui tenuit terram Alapiæ cum omnibus vicinis civitatibus suis, castris, casalibus, villis et munitionibus, quæ sunt numero 200 et eo amplius.

Saphadinus habuit filios 15, de quibus hæreditavit septem: videlicet Melchekemel, qui prior est et major aliis, qui tenet in hæreditate Alexandriam, Babi, Kairum, Damiettam, Thanaim et totam terram Ægypti, meridie et septentrione: iste de constitutione patris et fratrum debet esse dominus summus universorum. Secundus filius vocatur Coradinus qui Damascum, civitatem sanctam Jerusalem, et alias civitates Judææ, et castra 300 et eo amplius detinet, quæ deberent esse Christianorum. Tertius filius vocatur Melkifais, et rex grandis, qui tenet terram illam quæ dicitur Gemella, cum tota provincia, ubi sunt

400 iuter civitates et castra et villas præter casalia. Quartus filius vocatur Melkimodam, qui tenet regnum Asiæ cum omni potentatu suo. Ubi sunt plusquam 600 inter civitates, castra et villas. Quintus filius vocatur Melkimaphat qui tenet regnum et terram de Sarco, ubi mortuus fuit Abel, in quo sunt 800 civitates et casalia et munitiones. Sextus filius vocatur Melkincit, qui tenet regnum de Baldas, ubi summus pontifex est Saracenorum, qui vacatur Caliphas, qui colitur et timetur in lege eorum, sicut papa Romanus apud nos, qui non potest videri nisi bis in mense. Hic cum suis cassis i. e. sacerdotibus accedit ad Malcometum, legis Saracenæ maximum doctorum, et inclinato usque ad terram capite, et facta oratione, in lege suâ, antequam exeunt de templo, splendide comedit, et bibit : postea redit coronatus ad palatium suum. Isle Macomettus quotidie adoratur et colitur a Saracenis, et fiunt ad sepulcrum ejus peregrinationes ab omnibus Saracenis in illa civitate de Baldas quæ et lingua Arabica Meth vocatur.

Est etiam ibi Macometus et summus pontifex, qui lingua Arabica dicitur Caliph, et est illa civitas caput et domina totius legis et gentis Saracenorum,sicut est Roma Christianorum. Septimus filius vocatur Salaphas: hic non habet terram specialem, hic fuit semper cum patre suo Saphadino, et tulit vexillum quando equitavit: cui quilibet fratrum suorum transmittit quolibet anno pro certo censu suæ dignitatis mille byzantias Saracenorum fratrum suorum et duos dextrarios bene præparatos. Saphadinus pater eorum, quando equitat et visitat filios suos, incedit velato capite de uno samito rubeo, cui omnes filii, quater inclinato capite ad terram, exeunt ei obviam per undecim m.,et pede osculato dum sedit super equum,recipit eos ad osculum et ad manum, et cum uno quoque moratur per triduum

semel in anno, et sic a primo usque ad ultimum visitat memoratos, et quilibet illorum gestat annulum, in quo imago patris sui sculpta est.

Prædictus soldanus Saphadinus non ostendit publice faciem suam omnibus, nisi decies in anno, de more antecessorum suorum, quia semper est velatus. Quando vero recipit nuncios regum et principum, primo die recipit eos in prima sala palatii sui, ducentis turris bene armatorum sibi astantibus; tertio die per drugemannum suum,i. e. interpretem, dat responsum nunciis secundum formam causæ; qui post tertium diem nullum possunt habere accessum ad eum.

Iste Saphadinus habuit 15 uxores desponsatas præter concubinas et ancillas, et sic vivunt hæredes sui in lege patris, quæ omnes sunt in palatio, et cum singulis dormit quando vult. Si vero aliqua habeat filium ex eo, in tantum illam honorat, quod utitur illa, aliis adstantibus et videntibus. Illa, quæ non habet filium ex eo, quando vult eam per eunuchos suos in vesperis et privatim detinet per diem vel noctem, et sic de singulis: et quum aliqua illarum mortua fuerit, ducit aliam loco ipsius, ut impleatur numerus de consuetudine legis suæ.

Octo autem filii Saphadini, qui terram non habent de constitutione patris sic vivunt. Duo ex ipsis custodiebant sepulcrum Domini cum V Latinis, ad quos duos omnia quæ dantur sepulcro perveniunt, et ipsi dividunt inter se. Valet itaque oblatio illa 20 byzantia Saracenorum annuatim. Quatuor vero alii habent reditus de calice Ægypti. Est autem iste calix quædam janua in ripo Nili, quæ, quum aperiunt quolibet anno in mense Augusti, defluit et irrigat totam Ægyptum.

Ægyptus ista plana terra est et calida, raro habens pluviam, sed irrigatur flumine Gion qui dicitur Nilus. Hic fluvius

habet septem brachia per diversas partes Ægypti discurrentia. In Paradiso oritur, ut dicitur, et abundat piscibus non sanissimis. Hic fluvius nutrit equos aquosos, et sub aqua latitantes: apud Thanaim sæpe egrediuntur ab aqua. Nutrit etiam cocodrillos infinitos, qui ad modum lacertæ formati sunt, quatuor pedes habentes et grossa crura et curta, caput quasi scrofæ habentes, magnos pedes et ungues ut ursus: quandoque ad solem egrediuntur de aqua, et animalia vel homines si invenit occidit, quia bene glutiret hominem vivum, si inveniret.

Incipit itaque fluvius Nili crescere in nativitate sancti Joannis baptistæ*, et crescit semper usque ad exaltationem sanctæ crucis,† et deinde est decrescens usque ad Epiphaniam Domini,‡ et quamdiu est in descendendo, ubique terra apparet arida post recessum aquæ, et hordeum projicit semen suum, et metitur in Martio; ista terra non producit nisi triticum pulcherrimum.

In prædicta terra ista Ægypti, ubi major pars Nili recipitur in Mari Magno, sita est Damietta, civitas pulcherrima et munitissima, habens ex latere occidentali flumen Nili, muris circumdata duplicibus circumquaque. Est autem Damiettæ in medio Nili firmissima turris erecta, in cujus pede duæ maximæ catenæ usque ad aliam turrim in civitate protenditur, ne pateat introitus navigio intrantibus et egredientibus Ægyptum, nisi de licentia soldani. Hac enim via intrant et exeunt naves cum speciebus oneratæ, venientes ab India et Ægypto, et tenden-

* The 24th of June.

† The 14th of September.

‡ The 6th of January.

tes versus Antiochiam, Syriam, Armeniam, Græciam, Cyprum: et de hac catena recipit Soldanus Babylonis infinitos reditus. Hæc civitas quasi clavis et caput totius Ægypti; præcellit enim munitionem Babyloniam, Kairum, Alexandriam, Thanaim et cunctas civitates Ægypti.

A civitate Damiettæ sunt octo diætæ usque ad montem Sinai ubi requiescit corpus beatæ Catharinæ virginis. In magna veneratione tenent Saraceni locum illum et monachos loci illius. Item a Damietta sunt decem diætæ per terram usque ad Thanaim. Hæc Thanais sita est super aliud Nili brachium versus Euchastrum. Item a Damietta ad tres diætas est maxima civitas super Nilum, quæ nova Babylonia vocatur. Ab hac versus orientem itur Damiettam, versus occidentem Alexandriam, et hoc per Nilum. Huic civitati contigua est alia civitas, quæ Kairus nuncupatur, in qua est sedes regalis. In qua sunt regalia palatia, et est modo una et eadem civitas cum nova Babylonia.

In hac civitate sunt sedes diversimodæ hominum inhabitantium, scilicet Saracenorum, Judæorum, Christianorum, Jacobinorum, et quælibet natio legem suam custodit. Circa hanc civitatem sunt optima pomeria et multa: est autem ad unum milliare ab hac civitate hortus habens verum balsama in quantitate dimid. mansi, et est lignum balsami quasi lignum vitis triennis folium habens quasi trifolii parvi tempore maturitatis. Circa finem Maii funditur cortex ligni, sicut notum est operariis vineæ. Unde summa guttatim distillat et in vasis vitreis circumligatis stipiti colligitur: postea per 6 menses in stercore columbino reponitur et defæcatur, et sic liquor a fæce separatur, et fit balsama probatum. Hortus iste habet fontem unde irrigatur, quia ab alia aqua non potest irrigari, et nusquam terrarum

nisi in hoc loco solo, crescit vera balsamus. Ad hunc fontem dicitur beata virgo lavasse pannos pueri Jesu, quum fugisset in Ægyptum propter Herodem: hic fons habetur in magna veneratione a Saracenis. In Epiphania Domini convenit ibi multitudo Saracenorum, et lavant se aqua prædicti fontis.

Apud Kairum est arbor palmæ antiquissima, quæ se beatæ virgini inclinavit ut colligeret inde dactylia, et iterum erexit se et stetit ut prius: quod videntes pagani succiderunt arborem, quæ sequenti nocte solidata est et erecta et usque in hodiernum diem apparent incisiones. Hanc quoque arborem Saraceni honorant ac venerantur; et sciendum quod tres sunt Babyloniæ, prima super fluvium Cobar, in qua regnabat Nabugodonosor, alia in Ægypto, in qua regnabat Pharao. Istæ duæ jam destructæ sunt: tertia Babylonia, in qua hic agitur, fundata est super Nilum; sicut prædictum est. Ab ista usque ad Alexandriam sunt diætæ tres per terram et sex per aquam. Nilus tamen non descendit omnino in Alexandriam, sed aliquantulum est remotus.

Alexandria est egregia civitas ædificiis et hominum habitantium multitudine, sub dominio Soldani Babylonis constituta, in cujus portu in mari altissima turris erecta ut navigantibus portum ostendat: quia Ægyptus terra planissima est, ita quod non potest videri antequam perveniatur ad portum. Unde de nocte ignis propter hoc in turri ponitur, ut a navigantibus videatur: sic solet fieri in quadam turri Damiettæ. Civitas ista non habet aquam dulcem, nisi de cisternis, quam per aquæ ductum uno tempore anni de Nilo, quando excrescit, in iisdem recipiunt. In hac urbe sunt plures ecclesiæ Romanorum, inter quas ecclesia beati Marci evangelistæ, ubi evangelium scripsit in quadam capella, et martyrium ibi suscepit: ibi

est locus sepulturæ ejus, sed postea a Venetis furatus est et apud Venetias est delatus.

In hac ecclesia patriarcha Alexandrinus eligitur et consecratur. In Ægypto omne genus leguminis a festo sancti Martini * usque ad Martium recens colligitur, et similiter fructus hortorum. Oves et capræ bis pariunt in anno. Calix iste, de quo superius dictum est de quo percipiunt quatuor filii Saphadini reditus singulis annis, custoditur omni tempore anni a mille Bedewinis, ut non aperiatur neque claudatur nisi certis temporibus, quia per illum posset tota Ægyptus deperire. Reditus isti valent melius quam 40 millia byzantiorum Saracenorum per annum.

Duo alii filii Saphadini, de quibus adhuc nihil dictum est, sunt quotidie ante Machometum et in castitate serviunt ei, et quicquid offertur ad pedes ejus, devenit ad manus ipsorum, et valent isti reditus plusquam 30 m. byzantiorum Saracenorum. Dicto de Soldanis Babylonis et Damasci eorumque fratribus, et consuetudinibus et moribus eorundem, de situ etiam et civitatibus terræ Ægypti dictum est.

Nunc de locis et situ terræ sanctæ dicendum est, et primo incipiamus a Chebron, quod est Hebron. Hebron olim erat metropolis Philistinorum et habitaculum gigantium. In tribu Juda civitas sacerdotalis et fugitivorum Hebron sita fuit in agro illo, in quo Summus Dispositor patrem nostrum plasmavit Adam et inspiravit. Hebron Caritharba dicitur, quod Saracenice sonat "civitates quatuor," Carith enim civitas," sonat, arba quatuor dicitur, eo quod quatuor illi patres reverendi in speluuca duplici consepulti fuere, scilicet primus Adam, secundus Abra-

* The eleventh of November.

ham, Isaac, et Jacob, et eorum quatuor uxores Eva, Sarra, Rebecca, Lia. In qua postea monitus ab angelo cognovit uxorem suam, ex qua genuit filium suum Seth, de cujus tribu Christus erat oriundus. Secundo milliario ab Hebron est sepultura Loth nepotis Abrabæ. In Hebron est ager quidam cujus gleba rubea est, quæ ab incolis foditur et comeditur, et per Ægyptum venalis asportatur q. spie. carissime emitur. Prædictus ager in quantum late et profunde effoditur,in tantum, Deo disponente, anno futuro redintegratus reperitur. Juxta Hebron mons Mambre, ad radicem cujus terebinthus illa quæ "dups" vocatur, i. e. ilex juxta quam per multum temporis mansit Abraham, sub qua quidem tres angelos vidit, et unde adoravit, hospitioque susceptos fovit, pavit, un. pa. credendi via dco. est. Ilex prædicta ex tunc usque ad tempus Theodosii imperatoris, testante Jeronymo, duravit, et ex illa hæc fuisse perhibetur, quæ inpræsenti ab illic præsentibus videtur et cara tenetur; quæ, licet arida, medicabilis tamen esse probatur in hoc, quod si equitans aliquis de ea aliquid portaverit, animale suum non offenditur quamdiu secum detulerit. In Hebron primo applicuere terræ promissionis exploratores, Caleph et Josue eorumque socii decem. In Hebron regnavit David annis septem et dimidio.

Decimo milliario ab Hebron est lacus asphaltidis contra orientem, qui et mare mortuum dicitur, et vere mortuum, quia nil vivum recipit, et dicitur " mare diaboli ", quia ejus instinctu quatuor illæ miserrimæ civitates, Sodoma, Gomorra, Seboin, Adama, perseverantes in turpitudine sua, igne sulphureo concrematæ, in lacum illic submersæ sunt.

Supra lacum asphaltidis in accubitu Judææ est Segor, quæ et Ballezota dicitur, una de civitatibus illis, sed precibus

Loth de subversione reservata, quæ usque nunc ostenditur. In exitu Segor uxor Loth in salis effigiem mutata est, cujus adhuc apparent vestigia supra ripam maris prædicti: multum aluminis et catranaii ab incolis reperitur, et ex maris bitumine extrahitur et colligitur. Segor autem modo compatriotis oppidum palmæ vocatur. Supra lacum asphaltidis iu descensu Arabiæ Carnaim spelunca in monte Moabitarum, iu quam Balac filius Beor divini adduxit Balaam ad maledicendum filiis Israel, qui propter vehemens præruptum excisus vocatur.

Lacus asphaltidis Judæam dividit et Arabiam. Arabia tempore filiorum Israel solitudo erat i. e. desertum, eremus, terra uuita et inaquosa,nihil prorsus germinans, terra indistemperata, quia in hieme est nimis frigida, in æstate vehementer calida. Præterea desertum nutrit apros, leones, struthiones, ursos, boves silvestres,et hujus transitus est difficilis, nisi a Bedewinis,a quibus dignoscitur, qui sæpius illum locum transeunt; aqua invenitur ibi rarissima nisi in quartum diem. Mare Indicum tangit desertum in uno latere et mare rubrum in alio. In deserto quidem detinuit Deus filios Israel quadraginta annis, pluens iis manna ad manducandum, aqua de rupe producta.

In Arabia sunt castra filiorum Israel; locus est in deserto, in quo sunt 10 fontes et 70 palmæ,quas de mari Rubro exeuntes reperierunt. In Arabia est vallis Moysi, in qua percussit beatus silicem, et fluxerunt aquæ, de quibus illa patria adhuc irrigatur. In Arabia est mons Sinai, ubi Dominus dedit legem Moysi, et ille mons est vicinus Ægypto, ubi requiescit corpus beatæ Catharinæ. In magna veneratione tenent Saraceni locum illum et monachos ejusdem loci. In Arabia præcessit filiis Israel columna ignis per noctem,et nubes vallavit eos per diem. Ibidem 40 mansiones filiorum Israel: ibidem mons Horeb: ibidem

requiescit Aaron. In Arabia est Abarim, in quo Dominus Moysen sepelivit, ejus nunquam apparente tumulo. In Arabia mons regalis, castrum munitissimum, quod Baldewinus primus rex Francorum in Jerusalem ad tuitionem regni David firmavit et Christicolis totam illam regionem subjugavit. Arabia jungitur Idumææ in confinibus Bostron. Idumæa est terra Damasci, Idumæa tamen sub Syria: caput Syriæ quidem Damascus. Damascus est optima civitas in Idumæa, altis turribus decorata, viridariis et pomariis circumsepta, et fuerunt in ea plures ecclesiæ Christianorum. A Damasco tria milliaria est quidam locus in montibus situs, et est ibi ecclesia beatæ Mariæ virginis in rupe ædificata, in qua sunt duodecim moniales virgines et octo monachi. Hic locus Sardama vocatur. In hac ecclesia est tabula lignea ad mensuram unius ulnæ longa et lata ad dimidium. In hac tabula est depicta imago beatæ virginis Mariæ: hæc imago est super lignum incarnata, de qua fluit oleum odoriferum super odorem balsami, quo liniti variis languoribus adstricti sanantur, et illud oleum nunquam minuitur quantumcunque accipitur.

Ad hunc locum omnes Saraceni illius provinciæ, in nativitate * et assumptione † beatæ virginis, causa orandi confluunt et sua ceremonialia offerunt. Hæc tabula apud Constantinopolim facta fuit et depicta, et a quodam patriarcha in Jerusalem delata. Quam quædam abbatissa prædicti loci postea impetravit, et secum ad domum prædictam detulit. Et nota quod in terris Damasci et Antiochiæ est quoddam genus Saracenorum, et vulgariter appellatur Hegesim, i. e. Hauzasis, et

* The 8th of September.

† The 25th of March.

alio nomine Veteres Permontani. Hoc genus hominum sine lege vivit, carne quoque porcina vescitur contra legem Saracenorum, cuilibet mulierum indifferenter miscetur, scilicet matri et sorori. In montibus habitant et in fortissimis castris recipiuntur. Terra eorum non est multum fertilis: de pecude enim vivunt. Dominus vero illorum Christianis et Saracenis prope vel longe positis timetur, quia miro modo solebat eos occidere. Princeps iste habet pulcra palatia altis muris clausa et bene custodita, et non nisi per unum ostium patet introitus. In his palatiis filios rusticorum suorum facit nutriri a primis cunabulis et diversis linguis imbui. Quibus magistri sui a prima ætate hoc prædicant, ut domino illius terræ obediant, quod si fecerint, gaudia paradisi iis promittunt. Instruuntur etiam se nullatenus posse salvari, nisi omnino voluntati principis obediant. Isti vero, ex quo in palatio includuntur, præter doctores suos neminem vident, quousque evocentur ad aliquem interficiendum; tunc in præsentia principis constituti, interrogantur si ejus præceptis in omnibus velint obedire, ut iis conferat Paradisum. Illi ut instructi ferventi animo respondent se ejus præceptis in omnibus obedire. Tunc princeps ille tradit unicuique cultellum et eos mittit.

Jerusalem Judææ gloriosa metropolis in medio mundi sita est, cui ab oriente adjacet Arabia, a meridie Ægyptus, a septentrione mare Cyprinum, ab occidente mare Magnum. Idumæam et Phœniciam dividit Libanus, in qua Phœnicia est Tyrus i. Surs, Phœnicum nobilissima metropolis. In Phœnicia sunt istæ civitates, Accon, Tyrus i. e. Surs, Sarepta i. e. Sarphente, Sidon, Berithus i. e. Baruth; Biblium i. e. Gibelet. Tyrus Christum perambulantem maritima Syriæ noluit recipere, ut asserunt,quæ Divina testante pagina tot martyr-

es Deo reddidit quod eorum numerum sola ejus colligit scientia. Tyrus originem tumulatum celat. Ante Tyrum est lapis ille marmoreus haud modicus, super quem sedit Jesus, et ille lapis manebat illæsus a tempore Christi usque ad expulsionem ab urbe,sed postea defraudatus est a Venetis. Super residuum lapidis hujus fundata est quædam ecclesia in honore Sancti Salvatoris. Octavo milliario a Tyro contra occidentem est Accon, munitissima Phœnices civitas, quam Divina pagina Ptolomaida vocat. Ibi est portus optimus Syriæ. Quarto milliario ab Accon, supra littus maris, versus occidentem, est Carmelus, qui Caiphas vocatur. Ab Accon distat Nazareth 6 milliariis, et 7 milliaria usque ad montem Thabor de Accon. A Caipha usque ad castrum, quod vocatur Districtum, septem milliaria, quod castrum Templarii firmaverunt in mari munitissimum et inexpugnabile. A Districto usque ad Cæsaream sex milliaria. A Cæsarea usque ad Joppe est una diæta: a Joppe usque Ascaloniam circa six milliaria. Est vero ibi supra mare alia civitas nomine Gacza, ubi Samson confregit portas civitatis, et deportavit eas secum in montem. Istæ civitates quatuor sunt sitæ supra mare, quas nulli inhabitant, neque Christiani, neque Saraceni, nisi in Cæsarea tantum, ubi Christiani de novo ædificaverunt castrum optimum.

Octavo milliario a Tyro, contra orientem supra, est Sarphan, quæ est Sarepta Sidoniorum, in qua quondam Helias propheta habitavit, in qua resuscitavit filium viduæ Jonam, et ubi lechytus olei et farinula augmentata est. Sarepta a Francis Saraphente vocatur. Sexto milliario a Sarepta est Sidon civitas egregia, ex qua fuit Dido quæ fundavit Carthaginem in Africa. Sexto milliario a Sidone est Berythus opulentissima

civitas supra mare, in qua est quædam iconia Salvatoris nostri, non multum post passionem ejus ad ignominiam ipsius ridicu-lose crucifixa, et exivit sanguis et aqua. Unde multi in vero crucifixo crediderunt et baptizati sunt, quia quicunque liniebantur ex sanguine defluente, sanati sunt, ex quacunque detinebantur infirmitate. Arphaz urbs Damasci. Damascus in Syria: verum caput Syriæ Damascus, reverenda metropolis. Damascum construxit Eliezer, servus Abrahæ, in agro illo in quo Cain Abel fratrem suum occidit. Damascum habitavit Esau, quod est Seir, et Edom dicitur Seir pilosus. Edom rubeus interpretatur. Ab Edom tota terra Idumæa vocatur, de qua in Isaia, "Quis est iste qui venit de Edom &c.?" Est autem pars quædam illius terræ, ex qua beatus Job, quæ et Sueta dicitur, a qua Baldach Suites. In qua et Themam Metropolis in Idumaea. Inde Eliphath Themanites; in qua et Nemars oppidum, a quo et Sofar Nemanites. Hi tres consolatores Job.

In Idumææ finibus, secundo milliario a Jordane fluvio, Jacob, quum a Mesopotamia rediret, luctatus est cum angelo, qui de Jacob mutavit ei nomen in Israel. In Idumæa mons est Seir, de quo Damascus: secundo milliario a Damasco locus in quo Christus Saulo apparuit dicens: "Saule, Saule &c." In Damasco baptizavit Saulum Ananias, nomen ei imponens Paulum: de muris Damasci demissus est in sporta.

Libanus interpretatur 'candidatio,' de quo in Canticum: "Veni de Libano c. m." Ad radicem Libani montis Pharphar et Abana fluvii Damasci oriuntur. Montes Libani et planities Archados transfluit Abana, mari magno se copulans in finibus illis, in quibus Eustachius, uxore et filiis privatus, recessit desolatus. Pharphar, per Syriam tendens in Anthrociam, labensque secus muros ejus X milliaria ab Antiochia. Sedit beatus Pe-

trus septem annis, pontificali decoratus infula: ibi est patriarchalis sedes.

Ad radicem Libani civitas Paneas sita est i. e. Belinas, quæ et Cæsarea Philippi dicitur. Ad radicem Libani oriuntur Jor et Dan, fontes illi duo, de quibus sub montibus Gelboe Jordanis efficitur. In quo Christus a Joanne baptisatus est. Tertio autem lapide a Jericho loco illo vox Patris audita est "Hic est filius m. &c." A montibus Gelboe usque ad lacum Asphaltidis vallis, per quam Jordanis labitur: Gortus autem locus appellatur, quod Hebræum vocabulum est. Appellatur etiam vallis illa, quæ grandis et campestris, ex utraque parte vallatur montibus continuis a Libano usque ad desertum Pharon.

Item notandum quod, siquis velit ab occidentalibus partibus Jerusalem adire, oportet ut semper solis ortum teneat et Jerusolymitani loci oratoria ita inveniet sicut hic notatur.

In Jerusalem est cubiculum uno lapide coopertum, ubi Salomon librum Sapientiæ scripsit; et ibi inter Templum et altare in marmore ante aram sanguis Zachariæ fusus est. Inde non longe lapis est, ad quem per singulos annos viri Dei conveniunt et Geffites lamentantur, et sic cum gemitu redeunt. Ibi est domus regis Juda, cui ter quinos annos ad vitam addidit Deus.

Deinde est domus Caiphæ et columna, ad quam Christus ligatus cæsus fuit. Ad portam Neapolitanam est prætorium Pilati, ubi Christus a principibus sacerdotum judicatus fuit, et prius ibidem Abraham Deo sacrificavit. Inde, quasi magni lapidis jactum versus occidentem, est locus ab Arimathæa, ubi corpus Joseph Domini sepelivit. Ibique est ecclesia a Constantino speciose fabricata.

A monte Calvariæ sunt tredecim pedes ad medium mundi contra occidentem. A sinistra parte est carcer, ubi Christus carceratus fuit: in dextra parte sepulcri prope est monasterium in honore sanctæ Mariæ virginis. Ibi fuit Maria mater Domini, et cum ea soror matris ejus, Maria Cleophæ, et Maria Magdalene, flentesque, dolentes, in cruce Dominum suspensum videntes. Ibi dixit Jesus matri suæ "Mulier, ecce filius tuus &c." Ab hoc loco quantum poterit arcus mittere sagittam, in orientali parte, est templum Domini a Salomone factum, in quo a justo Simeone præsentatus est Christus. In dextra parte hujus templi Salomon suum templum ædificavit, et inter utrumque templum sponsam porticum struxit columnis marmoreis: in sinistra parte probatica piscina est. Inde contra orientem, quasi ad mille passus, mons Oliveti conspicitur, ubi Dominus Jesus Christus oravit ad Patrem dicens "Pater, si fieri potest &c." et in hoc lapide 'Pater noster' scripsit, et deinde ascendit in cœlum dicens discipulis "Ite, docete &c." Inter templum Domini et montem Oliveti est vallis Josaphath, ubi virgo Maria ab apostolis fuit sepulta. In qua valle Dominus est judicaturus mundum. Ibi prope est villa, quæ dicitur Gethsemani. Ibi prope est hortus trans torrentem Cedron, ubi Judas Dominum suum tradidit.

Inde prope est sepulcrum Isaiæ prophetæ. Inde ad mille passus est Bethania, ubi Lazarus. q &c. In eadem parte contra Jericho est arbor sycamorus, in quam Zacchæus ascendit ut videret Jesum. In alia parte ad mille passus est Helisæus ab ipso benedictus commixtione salis. Inde ad V milliaria fluvius Jordanis, distans ab Jerusalem octo leucis. Inde vero longe est mons in quo Helias fuit raptus.

A Jordane usque ad montem Sinai 12 diætæ. Mons

Thabor distat a Jerusalem, versus occidentem, diæta et dimidia, ubi Dominus transfiguratus est. In cujus montis pede dicitur esse Galilæa et mare Tiberiadis, quod non est mare sed stagnum. A monte Thabor apud occidentalem, in sinistra parte, quarto milliario est Nazareth, ubi Jesus accepit humanitatem. In dextra parte urbis Hierusalem, quantum jactus est lapidis, est mons Sion: ubi est ecclesia a Salomone facta. Ibi Dominus cœnavit cum discipulis suis: ibique iis misit Spiritum Sanctum. Ibi etiam Maria virgo migravit a seculo. In cujus montis pede est Siloa fons contra meridiem, subito egrediens de terra. Inde non longe est Sichem, ubi Joseph veniens quæsivit fratres suos: ibique requiescit corpus ejus. Inde ad mille passus est Sichar, ubi Dominus mulieri Samaritanæ loquutus est. Inde non longe est locus, ubi angelus luctatus est cum Jacob. Ibi est Bethlehem civitas David, ubi Christus natus est, distans ab Hierusalem quatuor milliaria contra meridiem. Ibi est ecclesia marmoreis columnis ædificata, in qua est locus ubi Christus natus est. Non procul hinc in dextra parte est Domini præsepe. Inde ad 12 milliaria est castellum Abrahæ, quod dicitur Thechue, ubi ipse Abraham et Jacob et Isaac sepulti sunt cum uxoribus suis. In sinistra parte est mons domus Dei: ibique locus est ubi Abraham voluit immolare filium suum Isaac, qui interpretatur risus vel gaudium. De Jerusalem usque ad montem qui vocatur Quarentena, ubi Christus jejunavit 40 diebus, sunt sex leugæ. In cujus montis pede est Jericho. Deinde usque ad flumen Jordanis sunt quatuor milliaria.

[POST EA QUÆ PRÆCEDUNT, SEQUITUR IN FOLIO 118 EJUSDEM CODICIS PROPHETIA DE SARACENIS LONGA, OBSCURA ET INUTILIS OMNINO: CUJUS INITIUM TANTUM ET FINEM HIC APPONO.]

Audite quæ ventura sunt super terminationem regni Caliphorum, i. e. sequacium illius execrabilis Macometti; quia post occasum solis ascendet stella quædam, habens caudam prolixam, sicut lancea, habebitque faciem rotundam sicut clipeus rotundus; et illo tempore, illo signo aperiente, mirabitur et debilitabitur regnum Caliphorum, surgetque vexillum hominis Arabici, et post illum veniet homo nobilis, regnabitque super terram et super montana; durabitque regnum illius aliquanto tempore absque bello. Post illum vero venient gentes et vocabuntur Turci, et in principio temporis eorum egredietur rex incredulus, ex gentibus. s. quæ non credunt, diruetque civita-

tem Balbeis, damnabitque eam absque ullo crimine et culpa, vendentque filios et filias et homines eorum pro vili pretio et modico; et post ipsum regnabit homo, cujus vexillum erit croceum oculi nigri : misericors mendicus in sermone suo super inimicos suos triumphator capiet Damascum, suisque diebus plurima capita detruncabuntur, præstabitque sibi auxilium homo ex genere suo, descendetque super civitatem Tiberiadem, eruntque dies mali loci illius. Vendetque homines illius pro parvo pretio. O Caroathin O Car.! O Car.! Væ tibi, flere volo super te, quia reges tui ducuntur sicut cameli, deprecabitque milites tuos, et convertet audaces in pusillanimes, dispergetque milites suos per regnum suum, O Ascalona! &c.

[QUÆ SEQUUNTUR ÆQUE NULLIUS PRETII ESTIMANDA SUNT, USQUE AD FINEM PROPHETIÆ, UBI HÆC OCCURRUNT]

Mensuras viarum nos milliaria dicimus, Græci stadia, Galli leugas, Ægyptii signes, Persæ parasangas. Milliarium habet pedes quinque millia, leuga habet passus mille quingentos,

stadium est octava pars milliarii, constans 125 passibus. Via est qua potest ire vehiculum.

[POST EA VENIUNT ALIA, QUÆ AD EXPEDITIONES CRUCIS IN TERRAM SANCTAM FACTAS NULLO MODO SPECTANT.]



